DE CODICE
EVANGELIARIO
FOROJULIENSI
DISSERTATIO EPISTOLARIS.

DE CODICE EVANGELIARIO FOROJULIENSI

DISSERTATIO EPISTOLARIS

CLARISS. VIRO

JOSEPHO BLANCHINO

PRESB. ORAT. ROMANI.

EDITIO SECUNDA

Notis Illustrata,

ET

BENEDICTO XIV.

PONTIF. MAX.

NUNCUPATA.





VENETIIS,

MDCCLIII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

DE CODICE EVANGELIARIO FOROJULIENSI

DISSERTATIO EPISTOLARIS

CLARISS. VIRO

JOSEPHO BLANCHINO

PRESB. ORAT. ROMANI.

EDITIO SECUNDA

Notis Illustrata,

ET

BENEDICTO XIV.

PONTIF. MAX.

NUNCUPATA.





VENETIIS,

MDCCLIII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

BENEDICTO XIV.

PONTIF. MAX.

LAURENTIUS A TURRE PRESB. ORAT. UTINEN.



Ontificiam Majestatem DOCTRINA & VERITATE *decet esse ornatam. Hisce quasi pretiosissimis gemmis in pectore gestandis, jussit Deus Rationale summi*

Sacer-

Sacerdotis coram Domino ingreſſuri ſignari, ac ſplendere. Etenim praelucere aliis debet lumine doctrinae, exemplo virtutum, qui ſupra caeteros eminet faſtigio dignitatis, atque honoris amplitudine. Ex quo autem fonte haec ſapientia, ex quo divinarum, atque humanarum rerum ſcientia hauriri oporteat; ubi legem, ubi regulas, morumque diſciplinam exquirere, Tu optime noſti BENEDICTE XIV. *Maxime Pontifex; qui in ſacris ſcripturis legendis, Canonicis ſanctionibus addiſcendis, atque dictandis, necnon SS. Patribus verſandis totam pene vitam traduxiſti. Vides igitur,* BEATISSIME PATER, *qua ratione, quove ſtudio movear ego, ut Te ad harum vigiliarum mearum praeſidium compellarem. Etenim Evangeliorum antiquiſſimum Codicem* Forojulienſem *quaſi prae manibus geſtare, Tibique ſiſtere mihi videor,*

quum

quum pro virili conatus sum illum adornare, & in aliorum commodum, atque utilitatem proferre. Neque equidem, nisi ex hoc uno uberrimo omnium bonorum fonte eas egregias virtutes Tibi adjunxisti, quae Te dignum praedicarent, qui in terris Christi vicariam potestatem gereres. Testes habebant sapientissimi, ac venerabiles illi Comitiorum pro eligendo Summo Pontifice Patres Tuam in Urbe a prima adolescentia optimae indolis rationem, & consuetudinem, morum integritatem, bonam conversationem. Testes illis erant Sanctissimi Pontifices, qui honoribus, gravissimisque Magistratibus tamquam praemia Tuis virtutibus Te auxerunt, atque cumularunt. Testes denique sibi adscivere Volumina illa Tua omnigenae doctrinae, ac Sanctorum sapientia refertissima; non tam Catholicorum virorum, quin & Haereticorum ea

legen-

legentium utilitate maximè commendata; quae singula profecto satis erant, ut omnium Patrum vota Te unum expeterent, Te unum quaererent, dignumque probarent, qui Apostoli Petri Cathedram conscenderes. Quapropter mirum, atque portento simile videri potest, cur tam sero, post nempe sex mensium exacto, dimensoque cumiculo Te datum fuisse Ecclesiae universali Pastorem; atque adeo diutius quaererent Patres illi sapientissimi coram Domino Christum ejus; & modo hunc, modo illum respuerent, quos certe non elegerat Dominus; quin statim in Te uno, cujus praeclara merita, coelestem sapientiam, doctrinam, caeteraque animi tui ornamenta satis perspecta habebant, omnium oculi, mentesque converterentur. Vere igitur dictum fuit, quod ludit Dominus in orbe terrarum; *sed & magnifice prolatum*, delicias ejus

Reg. 1. c. 16. v. 9.

Prov. 8. 31.

esse

eſſe cum filiis hominum. *Quandoquidem tam ſubita omnium animorum, ac voluntatum conſenſione in Te uno conſpiratum eſt, ut probaret univerſus orbis, Te ſummum Pontificem non ab hominibus, ſed divinitus datum fuiſſe. Quare Deus O. M. qui Te ad tantae dignitatis faſtigium evexit, qui* magni oneris fuit auctor, ipſe, & adminiſtrationis tuae erit adjutor; *& ſi quando humilitate vires tuas metiris, quaſi non merenti dignitas ſit data; tamen, ut es etiam grandi animo, cum Sanctiſſimo Leone deceſſore Tuo* non deſperas, neque deficis, quia non de Te ipſo, ſed de illo praeſumis, qui in Te magna operatur Deus. *Modo de Tuo Pontificatu loquar?* Quae in Pontificatu dixiſti, feciſti, ſcripſiſti, decreviſti, admirabilia ſunt, *ut de Sanctiſſimo Magno Gregorio teſtatur Eccleſia. Satis ergo erit dixiſſe, Te omnium*

S. Bernard. de Conſid. ad Eug. l. 2. c. 6.

S. Leo Serm. 1. in oct. Conſecr. c. 11.

Lect. Br. Rom.

virtutum stipatum caterva in hanc plenitudinem potestatis vocatum fuisse. Quare locus non est otio, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. *Roma testis mihi locuples sit, quae Te ad omnia pietatis officia erga pauperes, & peregrinos effusum quotidie videt; quae sua Templa, suas Aras, publica Ædificia ad suum magnum splendorem, & dignitatem aucta admiratur; quae saeculi felicitatem sibi adesse gestit, dum litteras, bonasque artes suis regiis Ædibus quasi contubernio a sapientissimo Pontifice exceptas gratulatur; quarum cultu & incremento dum se ornari maxime sentit, litteratorum hominum laudes etiam praedicat, & praemia intuetur. Urbes, Provinciae universae Sanctitatis Tuae ditioni subiectae admirantur Justitiam, Fortitudinem, Prudentiam, Pietatem, quibus mitissimo imperio*

S. Bernard. de Consid. ad Eug. l. II. c. VI.

omnes

omnes in officio contines, malis poenas, bonis praemia decernis; quum & calamitosissimis temporibus subditorum lachrimis, gemitibusque ingenti auri vi paterna charitate occurristi. Sed & totius Europae Catholici Principes laetantur sub tanto Pontifice pacem & concordiam sibi partam esse; Ecclesiarum Praesules omnes ex zelo, quo eos complecteris, ex eaque nimia charitate, qua Pater filios in sinu Tuo foves, & qua erga commissas tibi oves arctaris, oneris impositi grande levamentum quotidie experiuntur. Denique ad omnes vel remotissimos totius orbis populos & nationes Tuarum virtutum fama pervenit; earumque praesidium sibi adesse sentiunt, sibique plaudunt sub tanto Pastore, atque Doctore; votaque sua continenter aeterno Deo nuncupant pro Tua incolumitate, qui viros

Apostolicos ad evangelizandum misisti in omnibus finibus eorum nomen Domini Nostri Jesu Christi, in quo solo oporteat eos salvos fieri. Haec sunt, BEATISSIME PATER, *inter Tui Pontificatus praeclara facinora, quae nulla unquam lingua, nulla aetas reticebit. Quibus propterea Virtutum meritis* SANCTITAS TUA, nobile genus sibi vindicat (*utpote* Prophetarum, & Apostolorum filius) *similibus moribus*;
loc. cit. quod non aliunde nobile, quam morum ingenuitate, & fidei fortitudine fit, *ut ait S. Bernardus. Quae cum ita sint*, BEATISSIME PATER, *Tuo quasi jure Tibi vindicas sacrorum Evangeliorum Volumina, quae verba Dei continent, quae spiritus & vita sunt, & ex quibus tota divina antiqua, & nova lex pendet. Verum & quanto in honore, cultuque fuerint semper habiti venerabiles isti Codices aut a summis*

mis Pontificibus sacra peracturis; aut a Sanctis Conciliorum Patribus, de totius Ecclesiae Catholicae legibus, & disciplina acturis; aut a pissimis Regibus, magnisque Principibus viris loca sancta veneraturis, nostrum profecto non est tanti ac doctissimi Pontificis in memoriam redigere. Quare nec longa oratione complectendum omnes illos doctissimos viros, qui sacros libros scriniis, & Bibliothecis abditos, & per omnes pene regiones vel exterarum gentium lingua conscriptos ingenti labore, atque studio conquisitos doctissimis adnotationibus, & castigationibus pristinae puritati restituerunt, & e tenebris erutos incredibili Reip. Christianae bono ab interitu vindicarunt. Unum porro, BEATISSIME PATER, *nostrae aetatis Clarissimum lumen mihi haud licet hic praeterire, quem Tu optimi nosti,*

Josephum Blanchinum Romani Oratorii decus eximium; qui quum Sanctum praecipue Hieronymum in studio sacrarum litterarum quasi facem praeferentem ad imitandum sibi delegerit, propterea novimus quam frequenter eo hortatore, tenenti Codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat. *Ipse, inquam, in conquirendis undique sacris Codicibus diligens adeo fuit, ut nec labori parceret, nec impensae; in adornandis vero, & eruditis lucubrationibus illustrandis, omnium sapientum virorum consensu & privatis hominibus, & Catholicae Ecclesiae utilem certe operam, studiumque navavit; quum praecipue Italam antiquam Versionem abs Se feliciter inventam strenue defendit. Verum de illo plura dicere mihi quidem verecundum esse debet, qui ejusdem Instituti homo sum; sed*

Ep. XXII. ad Eustoch.

& Te-

& Tecum agere, SANCTISSIME PATER, *qui ejus pietatem, & doctrinam quamplurimi quum facias, benevolentiae Tuae testimoniis ornare illum in dies non desinis. Multis porro jam editis sui ingenii, ac studiorum fructibus* QUADRUPLICIS EVANGELIARII *aureum equidem Volumen tandem in lucem emisit. Cumque ego* FOROJULIENSEM EVANGELIARIUM *Codicem antiquitatis planeve nerandae eidem exscripsissem, addito etiam characterum specimine, placuit humanissimo Viro in* Appendice *Tom. II. una cum mea Epistola, in qua de aetate, statu, forma, fortuna, atque aliis pro ingenii mei modulo illum admonebam, integrum edere. Quo factum est, ut tantum honoris, ac laudis Epistolae meae vel ex caeterorum doctissimorum hominum judicio accesserit, quantum non modo sperare, sed nec mihi fingere, aut*

cogi-

cogitare quidem unquam auderem. Interim amici mei, inter quos praecipue Canonici Forojulienses modo consilio, modo hortatione, jure quoddam suo tandem me impulerunt novam hanc sui Codicis Evangeliarii lucubrationem parare, iterumque adornare, atque in vulgus emittere. Quum itaque hac prima vice per me haec mea in lucem edantur, atque sola extra Blanchinianum praeclarissimum Opus vagare cogantur; maximum sane eis erat optandum, atque quaerendum praesidium, magnaque erant auctoritate fulcienda. Te porro unum, BEATISSIME PATER, *sibi adjungere oportebat, qui supremus Custos es, atque verus Interpres Sacr. Scripturarum. Te auspice, & Patrono nova luce donari iterum debuerant, qui non homines solum benevolentia complecti, sed totum S.* PHILIPPI NERII *Institutum gratia, & ho-*

De Serv. Dei Beatif. lib. II.

& honore prosequi antiquum habuisti, nec modo dedignaris. Imo quid de ipso Sancto Patre dicam? Vel antequam ad celsissimae dignitatis, & auctoritatis hujus culmen proveheretis, publice testatus es summam erga ipsum quam profiteris, venerationem, & cultum. Nonne ejus excelsas virtutes, ac divinitus accepta dona atque merita, quae numero, magnitudine, pondere vix mortalium mentes, fidemque caperent, qua polles rerum experientia, atque eximia Tua sapientia in majore quodam lumine collocasti, & quae probasti, strenue defendisti? Addo etiam, quod sicuti gratulamur, immortalis memoriae Caesarem Cardinalem Baronium, Te Auctore, Venerabilem *esse dictum, ita speramus fore, ut sub tanto Pontifice Beatorum albo adscriptos tandem colamus Venerabiles nostrae Congregationis Presbyteros*

c. ix. n. iii. pl. iii. cap. xxv. n. xix. cap. xxx. n. 16. cap. xxxi. n. 4. c. xi. n. 10. l. iv. p. i. c. xix. n. 25. 26. & 27. edit. Patav.

Loc. cit. l. iii. c. xxvi. n. 12.

teros

teros Juvenalem Ancinam Episcopum Salutiensem, & Antonium de Grassis Oratorii Firmani; ut propterea quantum Summi Pontifices decessores Tui, Paulus IV. *Pius* IV. *Pius* V. *Gregorius* XIII. *Sixtus* V. *Gregorius* XIV. *Clemens* VIII., *addo & Leonem* XI. (*qui tunc in minoribus agebat*) S. FHILIPPO NERIO *adhuc in terris degenti honoris, gratiae, & venerationis tribuerunt, Tu,* BENEDICTE XIV. *in Caelis regnanti cultum, & gloriam augere, atque perficere videaris. Tuum ergo Nomen,* BEATISSIME PATER, *quod libellus iste in fronte gerit sit Codici Forojuliensi pro gemmis, atque auro, quibus olim sacri hi Codices ornabantur. Sit & Forojuliensi Capitulo (urget amor Patriae) munimen, atque ornamentum, cui saeculis octavo, nono, & decimo, Aquileja funditus eversa, contigit Metropolitani digni-*

dignitatem, *atque jura ſuſtinere*; *Quod deceſſores Tui*, *Coeleſtinus* III. *Pius* II. *Paulus* IV. *Clemens* VIII. *Paulus* V. pupillam oculi ſui *dixere*; *quod honoribus*, *privilegiis*, *beneficiis cumulatum*, *atque ſatis ampla* quaſi Epiſcopali juriſdictione *auctum ſub* ſua, & D. Petri protectione *ſuſceperunt*. *Sit tandem Utinenſi Congregationi*; *ſit mihi*, *quamvis immerenti filio vitae ſolatium*, *mortis praeſidium*; *dum interim Tuis ſanctiſſimis pedibus provolutus*, *eos deoſculando Tuam Apoſtolicam benedictionem ſupplex rogo*, *atque expoſtulo*.

Dabam Utini die V. Januarii MDCCLIII.

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del *P. F. Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitore nel Libro Intitolato: *Dissertatio Epistolaris de Evangeliario Forojuliensi*; *Auctore Laurentio a Turre &c.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi e buoni costumi, concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 1. Giugno 1753.

(Gio: Emo Proc. Riform.
(
(Alvise Mocenigo 4°. Cav. Proc. Riform.

Registrato in Libro a Carte 13. al Num. 82.

Gio: Girolamo Zuccato Segr.

C L A-



CLARISS. VIRO

JOSEPHO BLANCHINO

VERONENSI PRESBYTERO

Congregationis Oratorii de Urbe

LAURENTIUS A TURRE

PRESBYTER CONGREGATIONIS

Oratorii Utinensis.

S. ET F.



XIMIUM Opus, cui V. C. titulum fecisti; *Vindiciae Canonicarum Scripturarum*, sero ad nos perlatum est. Illud primo a te emissum accepimus ex Foliis Florentinis hujus anni, num. 9. ex quibus quanti faciendum esset facile intelleximus. Etenim vel ex brevi illa Operis summa collegi te suscepisse Opus, quod perinde nomini tuo laudem non modicam, quam rei Literariae, atque adeo Catholicae Ecclesiae utilitatem afferret. Quamquam vero foetum hunc tuum tardius, quam par erat, ad nos pervenerit; satis tamen perspecta erat pietas, atque doctrina, quae te haeredem ac nepotem praedicant Viri Illustrissimi FRANCISCI BLANCHINI, cujus nomen dixisse, laudasse est. Atque utinam mihi contingeret, quemadmodum a te fieri omnes norunt, Philippi a Turre Patrui mei vestigia sequi! ita profecto, quae olim fuit inter Praesules celeberrimos literarum & amoris necessitu-

do, inter nos etiam veluti rediviva efflorefceret. Quo defiderio jam accenfus, ftatim ut Librum tuum percurri, quem Comes Francifcus Florio Canonicus Theologus Metropolitanae Ecclefiae Aquilejenfis, omnium virtutum fplendore, atque doctrina ornatiffimus, mihi legendum perhumaniter conceffit, gavifus fum optimam mihi fefe occafionem obtuliffe te conveniendi, tecumque, quam expetebam, amicitiam ineundi. Igitur literas dedi Joanni Baptiftae Comiti Camucio Decano Eccl. Aquilejenfis ifthic tunc forte degenti pro tuendis Ecclefiae fuae juribus, rogavique, ut de mea erga te obfervantia, ac fummo ftudio certiorem te redderet, Variantefque Lectiones ex pervetufto Codice Evangeliorum, quem fervant Ill. Canonici Ecclefiae Forojulienfis, depromendas meo nomine exhiberet. Cumque ex literis tuis plenis amoris atque humanitatis id tibi fore gratiffimum deprehenderim, laudatum Codicem, quem, commodius ut luftrare poffem, etiam domum deferre mihi perhumaniter conceffum fuit, ftatim diligentius verfare coepi. De hoc fufius tecum V. C. differere conftitui: dabifque veniam, fi virium mearum tenuitatem parum reputans, de rebus paullo obfcurioribus, in quibus tu fapienter, & fumma femper cum laude verfaris, tecum agere non fum veritus.

Notum fatis eft quanta religione Libri omnes Sacri cuftodirentur, quae in illorum traditores poenae manerent, quî demum Fideles vitam potius profundere, quam eos Gentibus prodere non dubitarent. Sed Evangeliorum volumina prae coeteris Canonicis Libris cultum praecipuum meruerunt: verba etenim vitae aeternae habent, auctoremque ipfum Deum & Dominum noftrum Jefum Chriftum noverunt; qui non in tabulis lapideis, ut olim, fed in cordibus carneis Apoftolorum novam hanc legem amoris pleniffimam fcripfit. Ut propterea Origenes Homil. 13. in Exodum, aliique Sancti Patres Sancta Dei Evangelia non minori reverentia fe colere dixerint, quam ipfum facratiffimum Jefu Chrifti Corpus, fub fpeciebus panis & vini nobis oblatum. De quo honore & reverentia liceat & illud addere, quod Patruus tuus, Vir omni femper Praefationis laude nominandus, obfervat ex Ordine Romano, in *Notis Hiftoricis ad Anaftafii Biblioth. Vitas Rom. Pontificum*, *To. II. p.* 14., ab Epifcopo fcilicet facrum Codicem figillo muniri confueviffe, poftquam Evangelium ex eo publice in Ecclefia perlectum fuerat; tum Romae in more pofitum, ut per Regionarios Subdiaconos Archivo Apoftolico conderetur. Quod factum fufpicor ad tollendas praecipue Haereticorum fraudes, quibus folemne erat Scripturas turpiter depravare.

Forojulienfis Evangeliorum Codex in lucem nunc tantum prodit; vix enim ejufdem meminerunt ante haec tempora Docti Viri. Primus omnium Juftus Fontaninus, poftea Archiepifcopus Ancyranus, in fua Epiftolari Differtatione *Delle Mafnade*, edita anno 1698. pag. 8.

inter

inter antiquissimas plurium saeculorum scripturas, quibus abundat Tabularium Canonicorum Forojuliensium, Codicem nostrum laudat, uti supra mille annos, nempe Saeculo VI. nostrae Salutis, exaratum. Tenuiori charta scriptum refert; addens, ejus margines illustribus nominibus Langobardorum, Patriarcharum, Episcoporum, Ducum, Regum, Imperatorum, inter quos Caroli etiam Magni, passim refertos. In alio item Opere *Vindiciae Diplomatum* Lib. I. c. IV. n. IX. pag. 56. eodem Evangeliario obiter laudato, denuo asserit illum *esse VI. Saeculi*. Philippus a Turre Episcopus Adriensis anno 1716. in Patriam valetudinis curandae causa per aliquod tempus moratus, eundem Codicem diligenti disquisitione revolvit; ut colligo ex ejus schedis, inter quas Specimen Characteris, necnon & nomina quaedam e marginibus descripta, variantesque lectiones nonnullas inveni. Tum de hoc Sacro Volumine doctos amicos monuit, inter quos eruditissimum Virum Equitem Antonium Franciscum Marmi, qui Epistola, quae penes me extat, data Florentiae die 29. mensis Augusti ejusdem anni 1716. Episcopo in haec verba respondit: *Il MS. che V. S. Illustrissima ha osservato degli Evangelj in codesto Archivio, è veramente venerabilissimo per la sua antichità; e meriterebbe le sue dotte riflessioni per quello che riguarda la Versione Itala, e i frammenti, che de' SS. Padri ne possiamo avere: essendo appunto il Codice del tempo, in cui fioriva S. Agostino:* quibus postremis verbis nescio an ex sua, vel ex Praesulis sententia loquatur. Tertius, qui Codicem Forojuliensem suis Scriptis laudat, est Clariss. Vir Marchio Scipio Maffejus Tom. I. ar. 2. pag. 52. *Osservazioni Letterarie*, ubi descriptionem instituens Bibliothecae Manuscriptae a se dispositae, nostrum hunc inter antiquiores, & pretiosiores recenset, spondens se etiam ejus Variantes Lectiones publici juris aliquando facturum. Quas, cum Codicem ipsum nunquam suis oculis lustraverit, a Philippo Episcopo Adriensi ejus amantissimo forte acceperat. Hi sunt, qui de Codice Evangeliario Forojuliensi publicis suis Scriptis meminerunt, recentiores omnes: nullum enim inter antiquos invenio.

Ego demum post tot Clariss. Viros, te auctore, mi Blanchine, manus, quamquam harum rerum minus peritus admovi, & hoc Sacrae antiquitatis monumentum quo potui studio & labore pervolvi. Itaque veluti artis anatomae peritissimi mortui corporis singula vel minutissima scrutantur; formam, materiam, characterem, variantes lectiones, marginales notas, numerum, & magnitudinem foliorum, omnia, quamdiligentissime potui, investiganda mihi proposui. Abs te interim peto, Vir Clarissime, ne me singula, qua par est sedulitate, persequentem moleste feras: non enim fas esse duximus, aut tibi non obtemperare, aut aliquid eorum praeterire, quae nostras conjecturas illustrare possent: alterum quippe hujus operis esse pretium

ducimus, alterum meae erga te obſervantiae, & obſequii munus.

Evangeliarii igitur Forojulienſis forma eſt quadrata; quod primum eſt idemque fere certum antiquitatis argumentum. Folia ſiquidem in longum uncias decem, & ultra, in latum vero novem pedis Veneti menſuram exaequant. Quoquo verſus autem haec per dimidium unciae olim creſcebant: namque ea culter tonſorius per latera ſingula praecidit. Hinc factum, ut marginales notae, aut partim, aut omnino diſſectae ſint. Id evidenter apparet ex duobus, vel tribus foliis, quae intus in angulis plicata tondentis ferri aciem fugerunt, nobiſque primaevam libri formam ſervarunt. Ejus operculum ornatur foris a dextris ſerico panno, vulgo *Velluto*, rubei coloris, antiquitate tamen ſatis conſumpto. (1) Dexterum latus cooperit lamina argentea deaurata, ſed levi manu, ut vix hodie auri quid reliquum ſit. In ejus medio eminet figura Salvatoris, qui in dextera manu librum apertum tenet, ſiniſtra more Latino benedicit, ſpherico ſive ovali circulo concluſa. Quatuor angulos, quatuor animalia, quibus nobis Sanctos Evangeliſtas ſemper repraeſentavit Chriſtiana antiquitas, exornant. Haec ad fidem, & populi pietatem promovendam fuerunt ſumma religione inventa. Portabat enim Subdiaconus Codicem Evangeliorum ante pectus, clauſumque, verſa ad populum imagine Salvatoris uſque ad ambonem, ubi Diacono illum tradebat. Folia ſunt numero 270. ex membrana tenuiſſima, de quibus poſtea plura dicemus. Scriptura duabus columnis per ſingula folia procedit: columnas ſingulas XIX. lineae, ſeu verſus, quamvis inaequales implent. Characteres forma ſunt aequales: niſi quod (in omnibus fere antiquis Codicibus obſervatur) ſaepe majores adhibentur, ubi Capitula; aliquando, ſed raro, ubi ſoli verſus inchoantur. Quod ſi in fine lineae aliquid eſt addendum, non raro ſuppletur minuſculis literis. Earum ſtructura, ut diximus, ſemper aequalis apparet; atque hac de cauſa lineolis duabus clauduntur ſtylo ductis. Atramentum ex nigro modo palleſcit; & colore, ſeu pigmento illiti ſunt characteres; & ubi vetuſtate non periere, primo aſpectu captus aureos putares. Quaterniones num. XXXV. complectitur Codex, fere omnes VIII. foliis, ſive paginis formatos. Feree, inquam, omnes; primus enim eſt ex VI. foliis, quae continent Epiſtolam S. Hieronymi, Capitula & Breves Evangelii S. Matthaei, uſque ad ejus initium. Ultimus Evangelii S. Lucae, necnon & S. Joannis ex IV. tantum foliis conſtant. Caeterum optimae notae Codex iſte; ut raro ſe offerant integri verſus, qui vel perſpicilli ope, aut ſaltem adverſo lumini oppoſitis foliis commode legi non poſſint. Ubi enim atramentum eſt conſumptum; forma tamen literarum manet per ferrei ſtyli alte immiſſi veſtigia, non abſque aliqua foliorum jactura. Majus porro damnum illatum eſt ab inepto librario, qui ſolia quaedam ab invicem diſſecta adglutinavit craſſioris membranae tegumento, ut aliquando

mediam

mediam columnam per latum, & longum obduceret; quod nec levi manu valui ſemper diducere, & ſeparare. Accidit praeterea & Forojulienſi Codici, quod in aliis pluribus factum dolemus, & in Codice argenteo Evangeliorum Regii Monaſterii Brixiani S. Juliae eveniſſe monet Vir doctiſſimus Philippus Abbas Garbellus in Epiſtola tibi nuncupata, imperitorum nempe criticorum audaces atque inſulſae correctiones. Nulla tamen eſt raſura in verbis; ſed ubi manus appoſuerunt, ducta tantummodo linea, ſecuere verba, & deſuper ſuas correctiones addidere. Omnium Evangeliorum primus verſiculus minio, ſive rubeo colore ſignatur; eodemque modo numeri Capitulorum in margine poſiti, necnon & Brevium, atque Capitulationum. Rubeo quoque colore ſunt illita verba in fine Epiſtolae S. Hieronymi, *Explicit Epiſtula Hieronymi*, ſcilicet prima, & tertia litera rubeſcit: & ad calcem Evangeliorum ſimiliter, v. g. *Explicit Evangelium ſecundum Matthaeum*, unumquodque verbum, unam lineam formans, incipit a rubea litera, ceteris alternantibus. Quem morem, ſignandi nempe Capita, Verſus, & alias marginales Notas minio, ſeu rubeo purpureove colore, praeferunt antiquiores Codices; ut tu in Epiſtola ad eruditiſſimum Virum P. Joannem Chryſoſtomum probas etiam auctoritate, nempe ex D. Hieronymo in Praefatione ad libros Job, & Tomo altero *Vindiciarum* luculentius te demonſtraturum promittis. Doctiſſimus Monachus Montfauconius in ſua *Palaeographia Graeca* L. I. c. I. pag. 3. haec pariter me docuit: *Praeter atrum colorem*, inquit, *ad titulos Capitum, & Articulorum, maximeque ad praecipuas librorum inſcriptiones, itemque ad notas marginales breviores, ad alias notulas quae ad marginem remittunt, ad majuſculas literas, uſurpatur ſaepiſſime minium, ſive ruber purpureuſque color. Qui mos perantiquus ab Ovidio memoratur*,

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Verum, quae eſt veterum horum fere omnium monumentorum ſors & conditio, Forojulienſis Codex aliquam ſenſit temporum injuriam. Nam totum in primis deeſt Evangelium S. Marci, ſolis remanentibus Brevibus, & Capitulationibus. Deſiderantur inſuper & poſtrema folia Evangelii S. Joannis, ſic enim finit, *cum ergo eſſet ſero die illo una ſabbatorum*: quae verba in Vulgata Editione ſunt verſ. XIX. Capitis XX. & in noſtro Codice hic ſignatur Caput XXXVIII. Hinc ſecundum diſtributionem Capitum Vulgatae Editionis deſunt in Codice Forojulienſi duo poſtrema Capita S. Joannis, nempe XXI. & XXII. Porro Sancta quatuor Evangelia eo ordine in Codice Forojulienſi digeſta ſunt, quem pollicetur S. Doctor Hieronymus *Praefatione ad*

Dama-

Damasum in quatuor Evangelia his verbis: *Igitur*, inquit, *haec praesens Praefatiuncula pollicetur quatuor Evangelia, quorum ordo iste est, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes, Codicum Graecorum emendata conlatione, sed veterum.* Non idem certe semper ordo neque in Graecis, neque in Latinis exemplaribus. Ast illo temporis ordine sanctos Evangelistas scripsisse memoriae proditum est. Quod nec sine mysterio, nec sine aliqua significatione, quam & declarat, contigisse credidit S. Augustinus L. I. *de Consensu Evangelistarum*, Cap. II.

Singula, quae hic adnotare libuit, Forojuliensis Codicis vetustatem, atque dignitatem nobis plurimum haud dubie commendant. Ut autem vera, quantum conjectura & ratione assequi possumus, ejus aetas dignoscatur, haec ex characterum forma, cujus specimen tibi statim mittendum curavimus, ex stylo, locutione, ortographia, & si quae sunt hujusmodi alia, peti potissimum debent. Ex his autem saltem Saeculo quinto vertente exaratum fuisse mihi facile persuadeo: quamquam alias non ignorem, opus esse nocturna versasse manu, versasse diurna Codices hujusmodi, ut quid de eorum aetate, & tempore, si non fortasse certum, probabile saltem statuamus. Et mox laudatus Montfauconius, qui in hoc studio tantum valuit ingenio & experientia, quantum vix alter, ipse, inquam, de hac re in laud. Palaeogr. ita nos monet. *Monendum tamen est*, inquit, *& si allatae in hac Palaeographia characterum variae aetatis Tabulae multum ad temporis notitiam juvare possint, necessariam tamen esse oculorum consuetudinem: nam quantacumque diligentia in repraesentanda Veterum Scriptura adhibeatur, ab exemplarium Manuscriptorum formis aliquantum semper deflectitur. Observanda item sunt in antiquis Codicibus atramenti conditio, color, temperatio, & nescio quae alia vetustatis signa, quae ne verbis quidem exprimi possunt, nedum in apographa hujusmodi scripturarum referri.* Haec de extrinseca, ut ita dicam, Codicis nostri forma, atque substantia: ad intrinsecam veniamus.

Ei refero variantes lectiones, stylum, ortographiam. Quoad Variantes, eae, si placet, plurimae; sed nullius ferme ponderis sunt: quin dixerim magni esse momenti; cum nec sensum, nec integritatem minuant Authenticae Scripturae, addantque immo robur, & munimen maximum. Clare siquidem comprobatur, quae est tua sententia, Vir doctissime, Vulgatum Sacrae Scripturae Textum, quo hodieque Sancta Catholica Romana Ecclesia utitur, non esse, ut male opinantur Haeretici, Italam adulteratam, vitiisque & erroribus scatentem, sed Hieronymi curis, & correctione, Italam illam puram & sanam, qua eadem infallibilis Magistra nostra Ecclesia primitus utebatur. Hanc tu conclusionem deduxisti in laudata tua Epistola argumentis firmissimis, ex vetustissimorum praecipue Codicum Hieronymianam Versionem perpetuo praeferentium uniformi collatione. En verba tua hic non

ommit-

ommittenda: *Ex ipsis*, inquit, *illa utilitas percipi poterit, quae a me initio, ni fallor, est explicata dilucide, scilicet Canonis Sacrosancti Concilii Tridentini tuta defensio. Stabit illud quidem, quod controversiam inter Catholicos, & Haereticos maxime continet, scilicet Vulgatam nostram Authenticam esse, & ejus auctoritate Ecclesiam rite gubernari in Religionis, morumque negotiis; nihilque in ea perperam esse conjectum, nihil interpolatum, nihil additum, nihilque detractum, aut Librariorum vitio, aut Interpretum inscientia*. Tantam porro discimus coepisse homines libidinem de Latinis Novi Testamenti Translationibus, ut innumerae pene fuerint concinnatae, ex quibus perturbationes non modicae ortae sunt, erroresque multi in genuinum textum invecti, ut Antiqua Itala Versio vix amplius posset dignosci. Quam querelam movens S. Aug. (Tom. 2. Edit. Venet.) Lib. 2. cap. 11. *de Doctr. Christiana* „ *Qui Scripturas*, ait, *ex Hebraea lingua in Graecum verterunt, numerari possunt; Latini autem Interpretes nullo modo: ut enim cuique primis Fidei temporibus in manus venit Codex Graecus, ausus est interpretari*. Cui malo, maximoque incommodo occurrens Sanctissimus Pontifex Damasus, ut Novam & emendatam ab erroribus Italam daret Ecclesiae, S. Hieronymum auctoritate, & consilio suo impulit ad hoc opus aggrediendum. Qui sibi demandatam provinciam suscipiens, Italae Versionis vitiatas lectiones Novi Testamenti Librorum instauravit. Ea interim Versio, quam Italam vocat antiquitas, abs te primum inventa, & strenue demonstrata, nullum in posterum ambigendi locum apud sanae mentis homines relinquet. Si vero duobus vetustissimis Codicibus Hieronymianae Editionis auro contra redimendis, Perusino inquam, & Vaticano, addas & Forojuliensem nostrum, quid amplius possit in re tanta desiderari, vix, ac ne vix quidem mente capere valeo. Variantes interim, quas tu ad examen poteris revocare, satius duxi extra ordinem scribere, ne molem ingerant Epistolae nostrae.

Quod stylum, & locutionem attinet, ex hac etiam multum dignitatis atque praetii Codici nostro accedit: in quo, ut dixi, ipsissima habetur Versio S. Doctoris Hieronymi, quam antiquam Italam voco, sed ab eodem emendatam, & redditam pristinae integritati. Tibi enim immortales tandem a bonis omnibus debentur grates, qui triplicem statum nostrae Vulgatae deprehendisti, facta nempe collatione duorum vetustissimorum Codicum Vallicellani, & S. Pauli, ex quorum dissensione mire hanc veritatem elucescere, tuamque sententiam atque propositum magis magisque firmatum videmus. Animadvertisti siquidem Paulinum Codicem, Hieronymianam quamvis praeserat Versionem, (per quam S. Doctor, comparatione facta Exemplarium Hebraeorum in Vet. atque Graecorum in N. T. ad suum pristinum candorem Antiquam Italam reddiderat) cum tamen diuturni-

turnitate temporis non malo ingenio, ſed inſcitia, atque Amanuenſium incuria mire dehoneſtatam, & deturpatam praeſeferre, ita ut nemo purum & genuinum S. Patris foetum in eo amplius agnoſceret. Vallicellanus contra, qui eſt Codex autographus correctionis factae ab Alkuino juſſu Caroli Magni, nobis exhibet puram, atque integram Verſionem S. Hieronymi ab eodem Alkuino priſtinae integritati reſtitutam: *In illo namque* (inventum eſt tuum, nec a me diſſimulandum) *ingenti, & paucis annis vetuſtiore S. Pauli Bibliorum Volumine, Vetus, ac non limata ab Alkuino Hieronymiana Translatio eſt; ad ſecundum Vulgatae Scripturae ſtatum propterea referenda; quae quantum diſtat a Codice Vallicellano, tantum ei paulo poſt aut redditum, aut detractum, aut mutatum fuiſſe puto ab eodem Alkuino rogatu Caroli Magni*, ope Codd. integriorum.

Ad Orthographiam tranſeo. Et notandum primo loco venit, ita ſibi invicem literas, verbaque cohaerere, ſine aliqua comarum, punctorumve diſtinctione, ut unumquemque verſum, verbum unum diceres; ut tu de Codice Evangeliario Veronenſi dixiſti. Porro praefert etiam orthographia illorum temporum idiotiſmos, & in pronunciatione defectus, ex multarum linguarum commixtione ortos tunc, cum Latina lingua Barbaris in Italiam ingreſſis in comuni loquendi conſuetudine deſire coepit. Si autem attendamus V. Cl. Scipionem Maffejum *Verona Illuſtrata* Lib. XI. col. 310. & ſeq. Barbarae Nationes minime vitiarunt Linguae Latinae ſcripturam, aut locutionem, ut vulgo putatur. Mos enim iſte in ſcribendo, ait ille, ut in iſtis Codicibus videmus, per duo priora Saecula ſtante Republica invaluerat: quod & in ſua Hiſtoria Diplomatica pergit oſtendere, & tu ipſe antiquis Inſcriptionibus evincis. Quod ſi verum eſſe ex documentis, quae afferuntur, fateri oportet, non tamen auſim negare Barbaros hoſce homines, ſicuti politiſſimos mores, ita & elegantiſſimam linguam ſcriptionemque ad eorum ſimilitudinem foede traduxiſſe. Qua de cauſa, ut iterum tuo ore loquar, *frequentiſſimis cognatarum literarum mutationibus Codex abundat:* quae ſingula paſſim in vetuſtiſſimis Codicibus ſunt obvia: iique vetuſtiores habentur, qui hiſce mutationibus locupletantur. Aliqua exempla in medium profero. Saepe igitur litera B pro V, & econtra: verbi gratia, *fabum* pro *favum*, *brebis*, *brebiabuntur* loco *brevis*, *breviabuntur*, *mandabit* pro *mandavit*, *octabo* pro *octavo*, *abe*, pro *ave*. Sic *laba*, *lababant*, pro *lava*, & *lavabant*; *noba* pro *nova*, *tuvicines* pro *tubicines*, *honorificabit*, pro *honorificavit*. Litera B. pro P. ut *ſcribtum*, *ſupraſcribtio*, pro *ſcriptum*, & *ſupraſcriptio*; & econtra, ut *candelaprum* pro *candelabrum*. Item A pro E non raro uſurpatur: ex. gr. *revertatur* pro *revertetur*, *ſciatur* pro *ſcietur*, *fuerant* pro *fuerunt*: ideoque tempus praeſens pro futuro, & pro praeterito futurum facientes,

queis

queis sensus verborum obscuratur, atque invertitur. Saepissime O pro V, & econtra: ut *nomisma* pro *numisma*, *tribolis* pro *tribulis*, *fulgor* pro *fulgur*, *ficos* pro *ficus*, *fructos* pro *fructus*, *cumburendum* pro *comburendum*, *adulescens* pro *adolescens*, *cunfestim* pro *confestim*, *bus* pro *bos*. T pro D, & econtra: ut *reliquid* pro *reliquit*, *aput* pro *apud*, *athuc* pro *adhuc*, *quodquod* pro *quotquot*, *at* pro *ad*, *istut* pro *istud*, *nunquit* pro *nunquid*. Frequentius vero E pro I, & econtra: sic *lugire* pro *lugere*, *contendit* pro *contendet*, *diligis* pro *diliges*, *vindentes* pro *vendentes*, *discidite* pro *discedite*, *eices* pro *eicis*, *habis* pro *habes*, *dinario* pro *denario*. Et M pro N, *temtabis* pro *tentabis*, & econtra. Item *conmovet* pro *commovet*. Et raro, quando occurrunt in uno verbo praesertim composito duae cognatae literae, una in aliam mutatur, more veterum: hinc *inluminare* pro *illuminare*, *inludendum* pro *illudendum*, *conloquebantur* pro *colloquebantur*, *adligate* pro *alligate*, *adlatum* pro *allatum*, *adnuerunt* pro *annuerunt*, *adcurrens* pro *accurrens*, *adpretiati* pro *appretiati*. Item *thensauros* & *thenzaurizare*, pro *thesauros* & *thesaurizare*, *cottidie* pro *quotidie*: quae duo postrema exempla singularem antiquitatis notam praeseferunt. Observavimus etiam adverbia cum diphthongo, ut *hodiae*, *splendidae*, *verae*, loco *hodie*, *splendide*, *vere*. Saepius duae literae in unam coalescunt, neque semper in fine linearum; aliquando enim in principio, aliquando in medio, exempli gr. duae literae E & T, quibus sic conjunctis frequenter apparent in margine initiales Capitum; aliàs & in medio verborum, ut PERAM; & etiam in fine, ut FVERVN̄. Et frequenter ad extremum linearum, intra quas certum verborum literarumve numerum Scriptor voluit continere, minusculas literas contraxit, & literam M hac ratione signavit ꝰ.

Intrinsecam demum atque integram Forojuliensis Codicis partem constituunt Sancta Evangelia, necnon Breves, Capitula, & Praefatio sive Epistola S. Hieronymi, *Papae Damaso*. In hac porro Sancti Doctoris Epistola hoc animadversione dignum est, eam non integram, ut in Vulgatis fere omnibus Editionibus, reperiri, sed desinere in haec verba, *reperies & loca, in quibus vel eadem, vel vicina dixerunt. Explicit Epistula Hieronymi*. Hinc novum, atque singulare vetustatis inditium nostro Evangeliario accedit. Quae etenim leguntur in Editionibus, praecipue recentioribus omnibus, sed & in quibusdam antiquis Codicibus, addita fuerunt vertente VII. Saeculo: nam tu me docuisti, hoc assumentum legi in quodam Codice Vaticano VIII. Saeculi, seorsim tamen a genuina S. Doctoris prodroma Epistola. Eodemque modo testaris, te vidisse & in altero Codice Vallicellano Saeculi X. aureis literis, & atramento scripto, signato E. 17. in hanc formam: *Incipit Praefatio S. Hieronymi Praesbyteri in Evangelia. Beato Papae Damaso, Hieronymus. Novum Opus*

facere me cogis ex Veteri, ut post &c. & finit his verbis, *reperies & loca, in quibus vel eadem, vel vicinia dixerunt. Opto ut in Christo valeas, & mei memineris, Papa Beatissime EXPLICIT PRAEFATIO.* Manu vero ipsius Antiquarii = *Incipit Argumentum ejusdem in Evangelia = Sciendum etiam, ne quis ignarum &c.* usque *non potest contra id comparatio esse, quod solum est.* Quae accessio seu Monitum ad Epistolam S. Hieronymi, temporis decursu tamquam genuinum S. Doctoris haberi coeptum est; ut ex laudato Vallicellano Codice manifeste apparet, in quo appellatur *Argumentum ejusdem*, & eidem S. Doctoris Epistolae conjungitur, utque doctissimus P. Martianay, & post ipsum Cl. Dominicus Vallarsius in Editione Veronensi Operum S. Hieronymi in Notis ad eamdem Epistolam optime animadvertunt.

Capitum item numerus multum difert a Vulgatis Editionibus. Sunt etenim multo plures; &, quod mirum videri possit, non ab exordio narrationis cujuspiam rei gestae, sed in medio sermonis plerumque signantur. Initio cujuscumque Evangelii, rerum omnium summas Librarius perstrinxit duobus veluti indiculis: alterum *Brevis*, *Capitulationum* alterum, ut in aliis, & in nostro Codice, appellatur. Breves porro S. Matthaei in margine signantur usque ad numerum XIV. reliqui ex oscitantia ommissi; suntque omnes numero XXX. circiter. Capitulationes vero numero LXIIII. Breves S. Marci sunt XII. Capitulationes XLVI. Breves S. Lucae XX. Capitulationes LXXVII. numerantur. Denique S. Joannis Breves XIII. & Capitulationes XXXVIII. Mos is fuit, ut tu V. C. probe nosti, antiquis Scriptoribus atque Interpretibus, suis libris indicem Capitulorum praefigere, ut uno intuitu, quae tractarentur, posset Lector agnoscere. Quod tamen non omnes uno eodemque modo atque ordine praestitisse animadvertit supra laudatus Martianay in *Divina Bibliotheca*, *Prolegomen.* IIII. Tom. I., ubi multa hac de re magna eruditione congerit. Et videndus etiam Ven. mem. doctiss. Card. Thomasius, quem tu exornas: ipse enim integrum edidit Tractatum de Veteribus Sacrorum Bibliorum Libris. Varietas interim, & discordantia, quae in numero versuum, & capitulorum in antiquis S. Scripturae Codicibus apparet, Scriptorum, & Amanuensium ingenio tribuenda potius, quam ad certam legem, aut rationem aliquam sunt referenda. Hoc sane evincit Codex antiquissimus Epistolarum S. Pauli Bibliothecae Benedictinorum S. Germani, ad cujus calcem, post catalogum librorum Canonicorum Novi Testamenti, subditur haec nota: *Matthaeus* (habet) *versus* 2600. *Joannes versus* 2000. *Marcus* 1600. *Lucas* 2900., uti tu V. C. nos doces in Epistola scripta Amplissimo Viro Josepho Mariae Comiti de Thunn Sac. Rom. Rotae Auditori, Praesuli omnium virtutum laude ornatissimo. Et in altera,

ra, quam inſcribis Viro eruditiſs. Patri Joanni Chryſoſtomo, ad rem noſtram, etiam hanc tibi communem facis cum Martianeo ſententiam, nempe, de antiquis Sacrorum Bibliorum Capitulis, & Sectionibus, quod de Translationibus Latinis Scripturarum docuerunt Sancti Hieronymus, & Auguſtinus, tot eſſe genera hujuſmodi diviſionum, ſeu *Capitulationum*, quot ſunt Codices. Quod eveniſſe omnes Viri docti contendunt ex multitudine Interpretum Sacrarum Scripturarum, qui ſingulis ex Graeco in Latinam linguam Verſionibus pro arbitrio & voluntate, non ratione aliqua, ineptas inutileſque ſectiones & lemmata ſibi finxere: *& propterea*, inquit Martianay, *tot erant Interpretationum exemplaria latina diverſa tempore Hieronymi & Auguſtini, quot habebantur Codices Sacri*.

Interim accipe V. C. Forojulienſis Codicis integrum complexum atque ordinem. Praecedit Epiſtola S. Hieronymi ad Damaſum ſic .... *pae Damaſo ...... ronymus &c.* = *Explicit Epiſtula Hieronymi. Inc. Evangel. ſecundum Matthaeum*. Succedunt Breves S. Matthaei, nulla alia praefixa nota .... *vitas Chriſti. Magorum munera* = *Expliciunt Brebes*. = Sequuntur Capitulationes = *Initium Evangelii ſecundum Matthaeum. Natus eſt Jeſus in Bethlem civitate &c. Explicuerunt Capitulationes. Emmanuel. amen.* Incipit Evangelium = *Liber generationis Jeſu Chriſti Filii David, Filii Abraham* = *Explicit Evangelium ſecundum Matthaeum* = *Incipit ſecundum Marcum* = *Brevis ſecundum Marcum*.
A
ALLEMLUJA = *Explicit Brevis ſecundum Marcum*. Inde Capitula-
F
N
tiones = *Erat Johannes baptizans Jeſum: & venit ſuper Jeſum ſpiritus: & fuit temtatus in deſerto &c.* = *Explicuerunt Capitulationes ſecundum Marcum*. * Hic locus eſt dandus eidem Evangelio. In folio autem ſequentì = *Explicit Evangelium ſecundum Marcum* = *Incipit ſecundum Lucam*. Poſtea de more ejuſdem Capitulationes = I. *Zacharias Angelo non credens, obmutuit &c.* = *Expliciunt Breves Evangelii Lucae* = I. *Incipit Capitula ... ſecundum Lucanum de initio Evangelii &c.* Incipit Evangelium = *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quae in nobis completae ſunt, rerum &c.* = *Evangelium ſecundum Lucanum explicit* = *Incipit ſecundum Johannem*. Poſtea Breves = I. *Phariſaeorum Levitae &c.* = *Explicit Brevis ſecundum Johannem* = *Incipiunt Capitulationes ſecundum Johannem* = *Explicuerunt Capitulationes cata Johannen. Amen. Incipit Evangelium ſecundum Johannem* = *In principio erat Verbum, & Verbum erat aput Deum, & Deus erat Verbum*.

Quod maximum futurum eſt hujus noſtrae Epiſtolae argumentum, memineris velim mi Blanchine, nos ſupra moviſſe querelam de textu Evangelii S. Marci, quod in Codice Forojulienſi totum

desideratur. Non illud quidem primo defuisse putes; verum a reliquis tribus de industria separatum. Ut autem hoc ostendam, longior sim necesse est. Rationibus & argumentis disputandum non est, ubi contingat rerum evidentia probari id, de quo dubitatur. Breves siquidem, & Capitulationes, argumenta inquam, & compendium Evangelii S. Marci, quae adhuc in Codice leguntur, nonne satis indubiam fidem faciunt extitisse & Evangelium ipsum; & ceu impressa pulvere aut luto vestigia furem deprehendunt? Plura tamen hac de re investigare pulchrum tandem, atque operis ac laboris qualiscumque hujus nostri fore pretium existimavimus. A qua nempe manu, qua occasione, quo tempore, & causa Evangelium S. Marci a caeteris tribus coactum fuerit exulare; an autem perierit omnino, an latitet alicubi ceu membrum a suo corpore recisum, inquirendum est. Quod si, Vir humanissime, fastidium & molestiam parient in longum nimis producta rerum & argumentorum momenta, novitas & studium veritatis, quam unice, ut ingenuos homines decet, sectabimur, ut confido, te allicient, recreabuntque.

Narrat igitur eruditissimus Monachus D. Bernardus de Montefaucon *Diarii Italici* cap. 4. pag. 55. se vidisse Venetiis in Thesauro sive Cimeliarchio vetustissimum Codicem Evangelii S. Marci, cujus accuratam descriptionem nobis exhibet: quae quamvis sit aliquanto prolixior, utile erit totam hic ob oculos ponere. Sic ergo scribit: *Est Codex ille quadrus, operculo argenteo deaurato, confectus ex philyra seu papyro Ægyptiaca multo tenuiore, quam Codex Josephi Mediolanensis: & sane, ut inspicienti sedulo visum fuit, hallucinantur, ni fallor, qui membranaceum dictitant. At quia omnium una vox est, esse membranaceum, vellem ab aliis rem accuratius explorari. Folia agglutinata simul sunt, & putrida, ut non facile possint diduci sine fractione: nam locus perquam humidus; & brevi periturus funditus est Codex, si isthic maneat. Characteres autem, etsi vix legi possint, evidenter Latini sunt: nam multoties occurrunt literae* D, *&* R, *quae non habent eandem in Graecis, atque in Latinis formam. Quod ait autem nuperus quidam* (is est Massimilianus Massonius in suo Itinere per Italiam anno 1688.) *se legisse vocem* KATA, *is in prima littera hallucinatur: est quippe* B *sic scriptum* Iↄ, *uti solet in antiquis Codicibus bene multis. Est igitur* BATA *ex vocibus, quae frequenter occurrunt in Evangelio, ut* IBAT AUTEM: *nulla enim distinctio vocum est in hoc Codice. Quod autem se vidisse putat literam* Δ *Graecam, errat similiter; est enim* A, *cujus transversa linea non comparet; & clausa videtur inferius, quia duabus lineolis characteres inferne & superne clauduntur, ut in scribendo rectius procederetur. Cum autem ait, se in litteram* Σ *incidisse, haud felicius; nam similem nunquam vidi, accuratius licet inspexerim. Haec de Manuscripto, cujus causa Eruditorum turba diducitur in partes, Ajuntque vulgo, Autographum esse S. Marci. Nullum sa-*

lum sane Codicem me vidisse memini, qui majorem isto antiquitatis speciem praeferat. Quod autem Latine scriptus sit Codex, in controversiam vocari nequit ex Historia mox adferenda, cujus exemplum accepi ab eruditissimo Viro Justo Fontanino. Judicent alii, utrum, si ea demas quae de qualitate & materia asserit Montfauconius, caetera optime conveniant Codici Evangeliorum Forojuliensi.

Verum ad praecedentia tempora sermonem convertamus, atque historiam ipsam, quam doctissimus Monachus a Claro Fontanino accepit, attentius percurramus. Anno igitur MCCCLIV. (non MCCCLV. ut in Diario signantur Literae) Carolus IV. Imperator, cum Aquilejae degeret, a Fratre Nicolao Patriarcha dono obtinuit, ut ipsemet testatur in Apographo sua manu scripto, duos ultimos quaterniones Evangelii S. Marci, qui in Ecclesia sua Metropolitana tunc servabantur. Eos ad Archiepiscopum & Capitulum Pragense remisit, ut ceu pretiosissimam S. Marci reliquiam haberent, ac venerarentur. Siquidem fama ferebat, ea folia Autographa esse S. Evangelistae, scilicet totum Evangelium ejus manu conscriptum Aquilejae exstare. Legendae sunt Epistolae Imperatoris a Montfauconio editae, datae supra memorato Episcopo & Capitulo. Legenda est etiam ibi attestatio quaedam in Urbe Pragensi servata de Originali Evangelio S. Marci. Verum omnium luculentissimum testimonium in hac causa censeri debet charta quaedam, seu memoriale ab ipsomet Patriarcha Nicolao tribus exinde annis, ex quo Imperatori concesserat partem ipsius Evangelii, confectum, nempe anno MCCCLVII. quod primum edidit Petrus de Ludewig Tom. v. lib. III. *in Diplomatario Boemica-Silesiaco* num. LXV. relatum a doctissimo P. Bernardo Maria de Rubeis *Monum. Eccl. Aquil.* cap. II. ex qua charta docemur, quibus verbis & incipiunt, & definunt folia Pragensia. Host est principium: *& secundus accepit eam, & mortuus est.* (XII. 21.) Finis vero iste: *illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Amen.*

Anno MCCCCXX. Originale (ut opinio erat) Evangelium S. Marci in potestate erat Civium Forojuliensium. Epistolam profert ipse Montfauconius Thomae Mocenico Serenissimi Ducis Venetiarum, quam & prius vulgaverat Basilius Zancharolus Canonicus Forojuliensis *Antiquit. Forojul.* Lib. III. memoratis Civibus scriptam sub die penultimo mensis Maji ejusdem anni, qua abs se conceptum summum desiderium, ut Evangelium scriptum manu S. Marci penes ipsos existens assequeretur, declarat, vehementerque postulat. Cujus voluntati statim obsequentes, illud remiserunt per Plebanum quemdam, quem *Antistitem* vocare placuit Joanni Candido *Commentar. Aquil.* Lib. 2. ea de causa missum ad Civitatem Forojulii, (non Aquilejam ad sacras Virgines D. Benedicti, ut idem Auctor falso scribit, a quibus

etiam

desideratur. Non illud quidem primo defuisse putes; verum a reliquis tribus de industria separatum. Ut autem hoc ostendam, longior sim necesse est. Rationibus & argumentis disputandum non est, ubi contingat rerum evidentia probari id, de quo dubitatur. Breves siquidem, & Capitulationes, argumenta inquam, & compendium Evangelii S. Marci, quae adhuc in Codice leguntur, nonne satis indubiam fidem faciunt extitisse & Evangelium ipsum; & ceu impressa pulvere aut luto vestigia furem deprehendunt? Plura tamen hac de re investigare pulchrum tandem, atque operis ac laboris qualiscumque hujus nostri fore pretium existimavimus. A qua nempe manu, qua occasione, quo tempore, & causa Evangelium S. Marci a caeteris tribus coactum fuerit exulare; an autem perierit omnino, an latitet alicubi ceu membrum a suo corpore recisum, inquirendum est. Quod si, Vir humanissime, fastidium & molestiam parient in longum nimis producta rerum & argumentorum momenta, novitas & studium veritatis, quam unice, ut ingenuos homines decet, sectabimur, ut confido, te allicient, recreabuntque.

Narrat igitur eruditissimus Monachus D. Bernardus de Montefaucon *Diarii Italici* cap. 4. pag. 55. se vidisse Venetiis in Thesauro sive Cimeliarchio vetustissimum Codicem Evangelii S. Marci, cujus accuratam descriptionem nobis exhibet: quae quamvis sit aliquanto prolixior, utile erit totam hic ob oculos ponere. Sic ergo scribit: *Est Codex ille quadrus, operculo argenteo deaurato, confectus ex philyra seu papyro Ægyptiaca multo tenuiore, quam Codex Josephi Mediolanensis: & sane, ut inspicienti sedulo visum fuit, hallucinantur, ni fallor, qui membranaceum dictitant. At quia omnium una vox est, esse membranaceum, vellem ab aliis rem accuratius explorari. Folia agglutinata simul sunt, & putrida, ut non facile possint diduci sine fractione: nam locus perquam humidus; & brevi periturus funditus est Codex, si isthic maneat. Characteres autem, etsi vix legi possint, evidenter Latini sunt: nam multoties occurrunt literae* D, *&* R, *quae non habent eandem in Graecis, atque in Latinis formam. Quod ait autem nuperus quidam* (is est Massimilianus Massonius in suo Itinere per Italiam anno 1688.) *se legisse vocem* KATA, *is in prima littera hallucinatur: est quippe* B *sic scriptum* ıʒ, *uti solet in antiquis Codicibus bene multis. Est igitur* BATA *ex vocibus, quae frequenter occurrunt in Evangelio, ut* IBAT AUTEM: *nulla enim distinctio vocum est in hoc Codice. Quod autem se vidisse putat literam* Δ *Graecam, errat similiter; est enim* A, *cujus transversa linea non comparet; & clausa videtur inferius, quia duabus lineolis characteres inferne & superne clauduntur, ut in scribendo rectius procederetur. Cum autem ait, se in litteram* Σ *incidisse, haud felicius; nam similem nunquam vidi, accuratius licet inspexerim. Haec de Manuscripto, cujus causa Eruditorum turba diducitur in partes. Ajuntque vulgo, Autographum esse S. Marci. Nullum sa-*

lum sane Codicem me vidisse memini, qui majorem isto antiquitatis speciem praeferat. Quod autem Latine scriptus sit Codex, in controversiam vocari nequit ex Historia mox adferenda, cujus exemplum accepi ab eruditissimo Viro Justo Fontanino. Judicent alii, utrum, si ea demas quae de qualitate & materia asserit Montfauconius, caetera optime conveniant Codici Evangeliorum Forojuliensi.

Verum ad praecedentia tempora sermonem convertamus, atque historiam ipsam, quam doctissimus Monachus a Claro Fontanino accepit, attentius percurramus. Anno igitur MCCCLIV. (non MCCCLV. ut in Diario signantur Literae) Carolus IV. Imperator, cum Aquilejae degeret, a Fratre Nicolao Patriarcha dono obtinuit, ut ipsemet testatur in Apographo sua manu scripto, duos ultimos quaterniones Evangelii S. Marci, qui in Ecclesia sua Metropolitana tunc servabantur. Eos ad Archiepiscopum & Capitulum Pragense remisit, ut ceu pretiosissimam S. Marci reliquiam haberent, ac venerarentur. Siquidem fama ferebat, ea folia Autographa esse S. Evangelistae, scilicet totum Evangelium ejus manu conscriptum Aquilejae exstare. Legendae sunt Epistolae Imperatoris a Montfauconio editae, datae supra memorato Episcopo & Capitulo. Legenda est etiam ibi attestatio quaedam in Urbe Pragensi servata de Originali Evangelio S. Marci. Verum omnium luculentissimum testimonium in hac causa censeri debet charta quaedam, seu memoriale ab ipsomet Patriarcha Nicolao tribus exinde annis, ex quo Imperatori concesserat partem ipsius Evangelii, confectum, nempe anno MCCCLVII. quod primum edidit Petrus de Ludewig Tom. v. lib. III. *in Diplomatario Boemica-Silesiaco* num. LXV. relatum a doctissimo P. Bernardo Maria de Rubeis *Monum. Eccl. Aquil.* cap. II. ex qua charta docemur, quibus verbis & incipiunt, & definunt folia Pragensia. Hoc est principium: *& secundus accepit eam, & mortuus est.* (XII. 21.) Finis vero iste: *illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Amen.*

Anno MCCCCXX. Originale (ut opinio erat) Evangelium S. Marci in potestate erat Civium Forojuliensium. Epistolam profert ipse Montfauconius Thomae Mocenico Serenissimi Ducis Venetiarum, quam & prius vulgaverat Basilius Zancharolus Canonicus Forojuliensis *Antiquit. Forojul.* Lib. III. memoratis Civibus scriptam sub die penultimo mensis Maji ejusdem anni, qua abs se conceptum summum desiderium, ut Evangelium scriptum manu S. Marci penes ipsos existens assequeretur, declarat, vehementerque postulat. Cujus voluntati statim obsequentes, illud remiserunt per Plebanum quemdam, quem *Antistitem* vocare placuit Joanni Candido *Commentar. Aquil.* Lib. 2. ea de causa missum ad Civitatem Forojulii, (non Aquilejam ad sacras Virgines D. Benedicti, ut idem Auctor falso scribit, a quibus

etiam Oratores Venetos Sacrum pignus obtinuisse eodem errore asserit) quod & ingenti totius Urbis gratulatione receptum fuit.

Anno MDLXIV. Ferdinandus Archidux Austriae, (pergit historiam narrare Montfauconius) binis datis literis praecipit Francisco a Turre ex Comitibus Vallis Saxiae Oratori suo apud Venetam Rempublicam, ut a Senatu, sin minus precibus impetrare possit quinque quaterniones Evangelii S. Marci manu ipsius exaratos, nullis parcat impensis, omnemque lapidem moveat, ut illos ad se remittat. Verum frustra omnem operam & tempus tandem se insumsisse idem Orator rescripsit.

Confer interim, si placet, V. C. quae de Codice S. Marci Veneto, aut Pragensi superius sunt dicta, cum iis quae nos de Codice Evangeliorum Forojuliensi, quem illustrare pergimus, pariter supra narravimus: utrumque invenies Latine scriptum. & chartam utriusque membranaceam: in utroque haud dispar est foliorum magnitudo: characteres uterque praefert herbae siccae, sive flavi coloris. Quid plura? Quamquam non ignoro doctissimorum Virorum non unam esse, eamdemque sententiam; quin inter ipsos dissidia orta, ex qua materia confectus sit Codex ille Venetus. V. C. Marchio Scipio Maffejus *Istoria Diplomatica* Lib. 2. n. x. pag. 78. opinionem non probat Cl. Montfauconii, qui, ut vidimus, Codicem Venetum vult esse ex phylira, seu papyro Aegyptiaca: eosque reicit, qui membranaceum affirmarunt: suamque in medio novam sententiam proferens, & rei periculo abs se facto, statuit ex charta bombycina esse confectum. Ipsius verba refero, *ma nuova cosa io dirò, e non pertanto certa, che cotesto Evangeliario nè di papiro fu, nè di membrana, ma di carta bombacina: di tanto io mi sono assicurato replicatamente con la vista, e col tatto.* Et quamvis rationibus etiam adductis hanc suam firmare sententiam conetur, adhuc tamen ab Eruditis Viris in partes itur. Ut vel ex hoc uno discamus exemplo, quam fallaces, & ad decipiendum proni sint hominum sensus, iisque minime fidendum.

Verum ego non fallaces sensus sequutus, sed demonstrationi innixus, profero, Te judice, V. C. veritati, ut puto, prorsus consonam sententiam; quae te, ut stupore non modico afficiet, ita & novitate non parum delectabit. Dicam itaque ego fidentius: Modo causa finita est; dum apertissime evincam, Codicem, sive Evangelium S. Marci, Venetiis summo honore & religione servatum, nec ex papyro, nec ex bombycina esse; non Graece, sed Latine scriptum; non denique autographum esse ipsius Evangelistae: de quibus singulis inter Eruditos hucusque fuit acriter disputatum. Te iterum, eruditissime Vir, appello, tuam auctoritatem postulo. Et quoniam, qua polles ingenii vi, totum causae meae consilium prospexisti, ut, quod sentis, libere dicas, iterum rogo. Ego interim sic statuo. Folia Evangelii D. Marci

Venetiis recondita, itemque Pragae servata, integrum ejus Evangelium componunt, quod autographum putabatur, quodque in Codice Evangeliario Forojuliensi deesse narravimus: proinde quidquid de tribus Evangeliis in hoc Codice contentis aut diximus hucusque, aut infra dicemus, illi omnino convenit.

Duo ergo quaterniones, quos Carolus IV. Imperator a Nicolao Patriarcha Aquilejensi impetravit, & Pragam misit, distracti atque separati fuerunt a Codice Evangelii S. Marci tunc in Urbe Aquileja existente. Quinque quaterniones ejusdem Evangelii, Venetias delati sunt ex Forojulio. Ergo folia seu quaterniones Codicis Evangelii Pragensis, & Veneti sunt unum & idem; per quod totum Evangelium S. Marci componitur: ergo ex uno eodemque Codice profecti. Quod, quam verum certumque sit, quinque nempe quaterniones Venetias ex Forojulio delatos, ex eodem esse Evangelii S. Marci volumine, quo sunt Pragenses, iterumque hos, atque illos convenire cum Codice, quem nunc prae manibus habemus, mox clarum fiet.

De quaternionibus a Nicolao Patriarcha Carolo IV. elargitis, ex pluribus documentis constat. Et primo ex Epistolis ab eo scriptis Ernesto Archiepiscopo, & Capitulo Ecclesiae Pragensis apud Bollandi Continuatores ad diem xxv. Aprilis, in Commentario praevio §. II. num. 8. *Noverit*, ait Carolus, *vestra devotio, quod nuper ad fines Italiae procedentes in Ecclesia Aquilejensi invenerimus Librum Evangelii S. Marci Evangelistae, Latinis literis in septem quaternis, propria ejusdem S. Evangelistae manu conscriptum: cujus duos quaternos ultimos instantia magnarum precum obtinuimus, vobisque pro decore S. Pragensis Ecclesiae Matris nostrae per nobilem Ludovicum de Hoenlog dirigimus.* Datae sunt *Feltri, die ultimo mensis Octobris, Regnorum nostrorum Anno nono*, idest anno 1355. Audiendus hac de re idem Imperator in quodam suo Apographo a Montfauconio edito loc. c. p. 57. in haec verba: *Ego Carolus Quartus &c. vidi librum Evangeliorum S. Marci de sua propria manu scriptum, integrum ab initio usque ad finem, in septem quaternos, in potestate Patriarchae Eccl. Aquilejensis &c. De quo libro, petitione mea apud Patriarcham, & Capitulum dictae Aquilejensis Ecclesiae, obtinui istos duos quaternos ultimos libri praedicti: & alii quinque praecedentes manserunt in Ecclesia supradicta. Et haec scripsi manu mea propria, anno ab Incarnato Verbo MCCCLV. in Vigilia omnium Sanctorum, Regnorum meorum nono*, idest eodem anno, eodemque die, quo datae fuerunt supradictae Literae. Sed res haec certior est apud omnes Scriptores rerum Forojuliensium, quam quod super ea quaestio moveatur. Sequiore tempore, Cl. Rubeis *Monum. Eccl. Aquilejen.* cap. II. rem hanc pertractans, ita rem narrat: in Civitatem Forojulii delatus est Codex, nempe reliqui quinque quaterniones, ex septem duobus jam Carolo IV. dono datis. Testimonium profero ex aliis literis Veneti Senatus supra a nobis memoratis, *Communitati Civitatis Austriae* scri-

scriptis, anno MCCCCXX. *die penultimo mensis Maji* pro obtinendo Codice S. Marci, seu reliquis quaternionibus, quas refert idem Montfauconius pag. 60. & antea edidit Basilius Zancarolus loc. cit. ubi haec leguntur: *Proinde cum certam ac firmam notitiam habeamus, quod liber Evangeliorum, scriptus propria manu gloriosi Evangelistae Beati Marci, est & reperitur ad praesens in manibus Venerabilis Viri V. Decani Vestrae majoris Ecclesiae &c.* & sane non immerito scribunt *ad praesens*, cum antea fuerit Codex iste Aquilejae: sequitur enim, *quoniam intelleximus, & certo cognovimus, quod idem Liber, apud Aquilejam diu negligenter habitus, & male conservatus, pervenit ad terminos, ad quos indignum, & contra Religionem est permittere devenire res tales, & tantae devotionis*: & paulo infra, *nam sancta & honesta requirimus, ut videlicet margaritae de luto Aquilejae in templum Domini referantur.* Quod autem folia Pragensia conveniant cum Evangeliario Forojuliensi, de quo nunc agimus, res est exploratissima. Ea siquidem sunt ex tenuissima membrana, forma quadrata, & literis Latinis exarata. Scriptura per duas columnas ex utraque foliorum parte est disposita. Quaelibet columna lineas implet XIX. quarum alia est longior, alia brevior. Testimonium horum habeo a Cl. Viro Justo Fontanino, qui in quadam sua familiari Epistola sub die 15. mensis Augusti anni 1716. ad Philippum a Turre, se fecisse experimentum scribit, nempe collationem Codicis Forojuliensis cum Pragensi, per characterum illius (2) specimina ex Urbe Pragensi ad se missa.

Constat ergo duos quaterniones, sive folia Evangelii S. Marci Pragae missa per Carolum IV. ea esse, quae putabantur Autographa, atque olim Aquilejae exstabant: idemque constat de quinque reliquis quaternionibus Venetias delatis ex Civitate Fori-Julii, qui septem quaterniones integrum formant praefatum S. Marci Evangelium. Iterumque, ut diximus, folia Pragensia, & Veneta conveniunt cum nostro Codice Forojuliensi: ergo ad nostrum hunc Codicem spectant. Itaque omnis inter Eruditos exorta disputatio de materia, de scriptura, de antiquitate Evangelii S. Marci Venetiis servati, abeat, atque recedat oportet. Tot, tantisque (ni fallor) rationum ponderibus minime obstantibus, morem geramus oportet Saeculo huic nostro in Arte Critica satis expolito, & delicatissimo quorundam fastidio, qui antiquitati bellum inferentes, Codices, chartas, libros omnes, lapides ipsos tamquam recentiorum temporum figmenta traducere ausi sunt. Objectis itaque occurramus, quae de Evangelio S. Marci nobis disputantibus negotium facessere videntur.

Et primo quidem, quod attinet ad pervulgatam antiquam traditionem de Autographo S. Marci Aquilejae jam per multa Saecula custodito, postea Pragam, & Venetias translato, hanc initio simplex, eademque pia credulitas potuit inducere, cui traditum erat S.

Mar-

Marcum sua manu, dum Aquilejae moraretur, suum scripsisse Evangelium; ita ut paulatim vel sapientum Virorum animos haec opinio pervaserit. Sunt enim, qui nihil suspicantur, *nisi quae terris semota, suisque temporibus disjuncta vident*. Et sane apud Eruditos Viros certum est, (ut de S. Marco loquar) illum non Latine, sed Graece suum scripsisse Evangelium. Post SS. Augustini, & Hieronymi aperta idem asserentium testimonia, quis id audeat negare? Ille Lib. 1. c. 2. *de concensu Evangel.* ait, *Mathaeus Hebraeo scripsisse perhibetur eloquio; ceteri Graeco*. Et Hieronymus Praefatione in Evangelia ad Damasum apertissimis hisce verbis scribit: *de Novo nunc loquor Testamento: quod Graecum esse non dubium est; excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Judaea Evangelium Christi Hebraicis literis edidit*. Pergitque S. Doctor dicere, secundùm Graecum Autographum se correxisse Veterem Vulgatam Novi Testamenti Latinam Versionem. Non sunt igitur audiendi, quidquid in contrarium ex proprio magis ingenio, quam aliqua ratione fulti, Recentiores quidam, ceteroquin doctissimi, scripserunt. Et venia danda Em. Cardinali Baronio, qui ad annum Christi 45. sola traditione de Autographo S. Marci olim Aquilejae existente, inde Venetias translato, & Graece scripto, argumentum sumsit asserendi, Sanctum Evangelistam ex Latino in Graecum sermonem suum vertisse Evangelium, dum Aquilejae moraretur. Quem errorem admisit & Cornelius a Lapide *Praefat. in Marcum*, sequutus quemdam sibi narrantem, Venetum Marcianum Codicem scriptum esse Graecis literis. In eumdem impegerunt lapidem nostrates Historici Henricus Palladius Lib. 5. *Rer. Forojul.* Joannes Franciscus ejus nepos *Histor. Forojul.* part. 2. & Joannes Candidus *Comment. Aquilejen.* Lib. 2. Illi porro veritatem sunt assequuti, qui vetustissimum quidem affirmarunt Venetum hunc Codicem, Originale vero esse constanter inficiati sunt.

Ceterum popularis hujus traditionis originem rimari, nec injucundum, nec a proposito nostro alienum erit. Ac primo, nihil de re hac audiri coepisse ante Saeculum IX. inde constat, quod altum de ea silentium sit apud Paulum Warnefridum, qui circa medium VIII. Saeculum florebat, eoque jam inclinante conscripsit Langobardorum Historiam. Qui res Forojulienses non obiter narrat, qui Aquilejensis Ecclesiae, cui addictus fertur exstitisse Diaconi officio, non raro meminit, qui demum fabellis aliis Opus suum inspergens, ingenium praefert satis pronum ad nimiam credulitatem, ita ne rem hanc praeterire potuit, si tunc temporis suorum popularium animos fama haec pervasisset? Quid quod, S. Paulinus, qui eadem aetate, nempe anno 776. Ecclesiam nostram suscepit regendam, Scriptisque illustravit, nullam tam insignis Autographi mentionem ingerit, quamquam frequens se illi occasio praebuerit, ac praesertim Hymno V.

 in San-

in Sanctum Marcum, quem e schedis Adriensis Episcopi in lucem protulit Cl. Vir Jo. Franciscus Madrisius, qui carmen hoc non levi conjectura ductus Aquilejensi Antistiti adscribit.

Sed negativo huic argumento vim nullam subesse quis forte suspicari posset, quod praesto sit quoddam IX. Saeculi nondum adulti testimonium, ex quo colligamus, jam tum altas radices jecisse traditionem de Autographo Sancti Marci Evangelio in Aquilejensi Ecclesia servato. Siquidem a Cl. Muratorio Tom. IV. Anecd. Lat. ac rursus Tom. XVI. Collectionis Rerum Italicarum vulgatum est Chronicon Patriarcharum Aquilejensium, in cujus Praefatione haec leguntur: *Evangelium propria manu scripsit* (Sanctus Marcus), *quod hodie in Aquilejensi Ecclesia, omnibus volentibus, quia tale lumen sub modio poni non debet, sed super candelabrum ut luceat omnibus, demonstratur*. Equidem hoc Chronicon complectitur in utraque Editione vitas Patriarcharum usque ad Nicolaum, qui obiit anno 1358. ac propterea Vir Doctissimus suspicatur, sub Ludovico Turriano, qui Nicolaum excepit, aut non longe postea conscriptum fuisse, vel saltem ante anno 1420. quod ex rebus mox allatis rectissime colligit. Sed Chronicon idem ex Apographo Tabularii Forojuliensis mendis aliquibus expurgatum nova luce donavit V. C. Bernardus de Rubeis in *Appendice* ad *Monum. Eccl. Aquil.* in quo illud observatione dignum est, quod non, ut in Muratorii editione visitur, pertingat ad Nicolaum usque, sed desinat in Maxentio, qui ad Sedem Patriarchalem promotus fuit anno 811. Hinc *Monumentorum* cap. I. n. II. & in *Admonitione ad Appendicem*, censet, Chronicon hoc Saeculo IX. nondum adulto concinnatum esse, atque ex vetustiori hoc tum Muratorianum, tum alia, quae circumferuntur, aucta esse. Pergit etiam difficultates excutere, quae ex suo Chronico peti possent, ubi Aquileja *famosissima* dicitur, & *Italiae caput*. Sed Virum Doctissimum maxima fugit difficultas, ex qua confici videtur, Chronicon Patriarcharum, quamquam ultra Maxentium non procedat, antiquiorem esse non posse Saeculo XI. adeoque mutilum potius haberi debere Codicem Forojuliensem, ad cujus fidem Editionem suam ipse adornavit, quam successorum Maxentii nominibus rebusque gestis auctum Chronicon quoddam vetustius. Legimus enim in Forojuliensi exemplari, quod recentior editio repraesentat, legimus inquam in Niceta, *Castrum Forojuliense, quod* NUNC *Civitas Austria appellatur*. In Paulo, de Paulo Diacono loquens, scribit, *qui fuit Natione Civitatensis*: & paulo post habet, *Civitatem Austriam, quae tunc* (vivente Paulo Diacono) *Castrum Forojuliense dicebatur*. In Calisto, *in Castro Forojuliano, quod nunc Civitas Austria appellatur*. In S. Paulino, *& rediens in Civitatem Austriae*. Regionem porro Forojuliensem, quam & *primam* Venetiam cum Auctore Chronici dixerunt Veteres, post Langobardorum in Italiam ingressum *Austriam*, Saeculo

nempe

nempe sexto, fuisse appellatam nos omnes docent. Sed & hoc vocabulo praesertim designatam nostram hanc Provinciam Forojuliensem ex nostro Paulo Diacono in suae Gentis historia didicimus. Imo utramque Regni sui partem in Italia distinxit Rex Luitprandus in *Neustriam*, idest occidentalem, & *Austriam*, idest orientalem; ut omnibus Viris Doctis notissimum est: a quibus solet inter cetera praeclarum testimonium adduci Legis LV. Lib. VI. ipsius Luitprandi, quam apud V. C. Ludovicum Ant. Muratorium *Rerum Italic. Scriptor.* Tom. I. Part. II. sic lego, *Si per* XXX. *dies pignora ipsa, aut debitor, aut fideijussor recolligere neglexerit, si in* NEUSTRIA, *& in* AUSTRIA *fuerit, amittat ipsa pignora &c.* Unde Eruditissimus Vir *Neustriae*, & *Austriae* significationem exponens, hoc, ait, praecipue nomine designabatur Ducatus Fori-Julii. Sic & aliae Legis Langobardicae habent. Ex quibus haec omnia docte confirmat Pater de Rubeis cap. XXV. & his vocibus *Austria*, & *Neustria* Langobardi Francos imitati, orientalem, & occidentalem sui Regni partem designantes, ad partem Italiae ab se occupatam traduxerunt. Pergensque rem hanc Doctissimus Vir illustrare, spectata regia Urbe Ticino, Forojuliensem Regionem, ac ferme totam Venetiam ad Orientem vergentem, dictam fuisse *Austriam* optime nos monet. Civitas vero Foro-Julii, quae a Diacono nostro nunc *Civitas Forojuliana*, nunc *Oppidum Forijulii*, modo *Castrum Forojuliense* dicitur, serius Austria appellata fuit; nec hoc nomen illi inditum putat ante Saeculum XI. Qua de re videsis Caput LIX. ubi Vir laudatus profert vetustiorem chartam anni 1097. cum antiquiores tabulae semper *Forumjulii*, *Forojuliensem* habeant, & ab ipsa Civitate passim illo aevo legatur Comitatus *Forojuliensis*. Quod tamen nomen nunquam penitus exuit: unde & plures nos vidimus chartas in Tabulariis nostris post XI. Saeculum datas *in Civitate Forojulii*, *quae dicitur Austria*. Et antequam sic nuncupari incoeperit, etiam *Civitas* absolute dicebatur. Ita in Instrumento anni 1057. legitur donum factum Praeposito *Civitatensi* apud Rubeum cit. nec secus in aliis membranis a me visis. Hinc Cl. Fontaninus in sua Epistola *delle Masnade* ait, prae excellentia Forumjulium dictam esse *Civitatem*, utpote tunc post Aquilejam eversam caput Regionis effectam. Et ad distinctionem aliarum, credendum est, paulo post cum additamento *Austriae* nuncupatam. De his consulendi sunt idem Fontaninus in Vita Philippi a Turre, tum hic in Commentario *Colon. Forojul.* & tandem Clariss. de Rubeis in saepe laudato Opere *Monum. Aquil. Eccl.* C. XXV. LIX.

Ex his omnibus liquet, ut dicebam, Chronicon additum in Appendice Monumentorum Aquilejensium, vel integrum non esse, nec spectare ad Saeculum IX. vel, quod facilius concesserim, antiquum esse quidem, sed non uno in loco recentiori manu interpolatum;

quae est etiam Doctissimi Rubeis opinio de eo in hunc modum scribentis: *quod additamentis sequioris aevi; vitiatisque Patriacharum annis corruptum non abnuimus*. Quae cum ita sint, nutat fides testimonii ex hoc Chronico desumpti, ut vetustiorem Saeculo undecimo statuamus opinionem de Evangelio Sancti Marci ipsius manu conscripto, atque in Patriarchali Ecclesia servato. Quis enim decernere possit, num narratio haec e primigenia manu profecta fuerit, seu potius num habenda sit velut interpolatoris additamentum? Hoc certe verosimilius videtur in tanto Veterum silentio. Post Saeculum itaque XI. ut conjicimus, seu casu aliquo & errore, seu pia fraude orta haec fabella, jam profecto vigebat quo tempore unus inter Patriarchas nobilissimae Gentis de la Turre (quatuor numeramus) vulgari opinione ductus, Evangelium S. Marci tabulis argenteis contexit, ornavitque insignibus Familiae suae, & Urbis Aquilejensis. Is fuerit vel Raymundus, qui Sedem tenuit ab anno 1274. usque ad annum 1299. aut Paganus renuntiatus Patriarcha anno 1319. qui obiit anno 1332. aut tandem Ludovicus successor Nicolai, sub quo primum indubia habemus hujus traditionis argumenta. Castonus enim, cum, vix dum electus, Florentiae obierit, priusquam Aquilejam adventaret, ornamenti hujus Auctor haberi nequit. Nec idcirco Oratori Caesareo assentiendum, qui Evangelium S. Marci dono missum fuisse suspicatur Veneto Senatui ab uno ex his Familiae suae Patriarchis: nam postea id factum fuisse, anno scilicet 1420. Forojuliensium Civium largitate allatis monumentis ostendimus. Mirum praeterea videri possit, qua ratione (quicumque demum is fuerit, qui in unum Volumen operculis argenteis Evangelium S. Marci perpetuo segregavit) cum ea persuasione motus id fecerit, quod ejusdem Evangelistae manu scriptum fuisse putaret, tria etiam alia Evangelia ejusdem formae, ejusdem materiae, ejusdemque characteris non animadverteret, ut aut eodem in honore haberet singula, aut potius nullum eorum Autographum esse plane cognosceret.

(3) Praeterea haerendum minime arbitror, quod idem Orator in secunda Epistola apud Cl. Montfauconium Ferdinando rescribat, *magnitudinem quaternionum Evangelii S. Marci esse quartae partis unius folii*; ac si ex hoc posset inferri, illos non esse similes Codici Forojuliensi, qui magnitudine excedere videtur. Non, inquam, in hoc ulla est difficultas: variae enim, & multiformis magnitudinis charta conficitur: qua de causa ex recitatis verbis non justam foliorum mensuram, (quam postea, ut in quarta Epistola legitur, fidelem remisit) sed formam Codicis quadratam, uti semper est *quarta* pars folii, innuisse videtur.

Difficultatem potius augerent ea, quae laudati Viri Montfauconius, & Maffejus oculati recentiores testes affirmarunt de materia

Codi-

Codicis Veneti. Ille siquidem *confectus est*, inquit, *ex phylira seu papyro Aegyptiaca;* iste, nulla prorsus haesitatione scribit, *fu di carta bombacina*. Verum, tantorum Virorum venia, illis opponimus testes oculatos Saeculi XVI. Sane membranaceum dixit Orator Caesareus anno 1554. eo nimirum tempore, quo illum multa quidem vetustate detritum nobis describit, non adeo tamen, ut qua ex materia constaret statui non posset; nec adeo putridum, atque consumptum, qualem post duo fere Saecula eruditissimi illi Viri conspexere. Cl. etenim Montfauconius ita refert, *folia agglutinata simul sunt, & putrida; ut non facile possint diduci sine fractione*. Et Cl. Maffejus plures post annos scribit, *l' umidità ha ridotto i quaderni, imputriditi già da' Secoli, a un' impasto, il quale ha quasi fatto tornar la carta a' suoi principii, cioè a quella pasta, di cui con acqua, e bombagio molti Secoli sono si lavorò*. Dumque solidis argumentis probare nititur contra Doctissimum Monachum, papyrum non posse talem subire mutationem; an valeant etiam ad ostendendum, Codicem illum humidissimo loco, atque aere salso reconditum, non esse membranaceum, sed bombycinum, judicent alii: quam sententiam dum mordicus tuetur Maffejus, certe pro Autographo non agnoscit. In eo enim est, ut ostendat chartam bombycinam, in qua putat scriptum Evangelinm illud, initium habuisse in Oriente circa nonum Saeculum: quod etiam ante docuerat Montfauconius in sua *Palaeographia Graeca*, Lib. 1. cap. 12.

Demum recentioribus testibus Viris Clarissimis, recentissimum aeque atque omni exceptione majorem opponimus Franciscum Blanchinum Patruum tuum, qui anno 1720. qua nemo alius diligentia perscrutatus est Codicis materiam, & num Graeci, an Latini characteris forma in literis appareret, sedulo investigavit. Sic igitur Tom. II. Anastasii Biblioth. in *Notis ad Vitam S. Petri*, pag. 14. col. 1. scriptum reliquit: *Autographum Evangelii B. Marci Venetiis asservari in thesauro ejus Ducalis Basilicae fama est, literis Principum id contestantibus: quas edidit R. P. Montfaucon in suo Diario Italico pag. 55. & seq. Beneficio Excellentissimi D. Foscarini Divi Marci Procuratoris, cui Magistratui cura Sacri thesauri demandata est, impetravi, ut evolvere mihi liceret Codicis folia, dum anno superiore 1720. die 2. Decembris Sacra lipsana venerarer ibidem asservata, & adhibito perspicillo diligenter inquirere, num Graeci, an Latini characteris forma in literis appareret a Montfauconio depictis: cujus Diarium consulto meeum attuleram, una cum lamella tenui, qua possem putrida folia diducere, citra periculum fracturae. Incassum laboravimus quotquot hoc studio tenebamur: nam licet lumina complura admoveremus, & lentibus crystallinis augeremus visionis angulum, nullum tamen elementi vel Latini, vel Graeci vestigium deprehendere datum fuit: ita detritis aevo, atque erosis (salsedine forsitan aestuariorum) singulis literis, ut nullius figura superesset.*

Narra-

Narratur in Tom. 3. Aprilis, pag. 345. in Metropolitana Ecclesia Pragensi asservari duos ultimos quaterniones ejusdem Codicis S. Marci Latinis literis scriptos, quos Carolus IV. Imperator obtinuit, & memoratae Pragensi Ecclesiae donavit, HUJUS VENETI CODICIS MEMBRANACEA ESSE FOLIA, *non autem ex phylira, (ut ille opinatur)* NEMO EX PRAESENTIBUS ATTENTE CONSIDERANS DUBITAVIT. *Refundenda est in acrimoniam salsi humoris ab Australibus ventis excitati, quibus perflantibus marmora ipsa Ecclesiae S. Marci fiunt irrigua, corrosio atramenti, ac literarum, quae apparet in recentioribus etiam Codicibus Evangeliorum eodem armario custoditis, licet horum scripturae antiquitas annos CCCC. non superet. Ea enim se insinuante cum aëre ipso intima in penetralia, quantolibet studio custodita, effectum est, ut quae lineamenta literarum R. P. Montfaucon observanti* LATINAE SCRIPTURAE *indicium evidens exhibuerant, jam omnino deperdita, intra annos* XXII. *nullum suae figurae vestigium reliquerint*. Hoc est viri diligentissimi atque harum rerum peritissimi judicium.

His absolutis, transitum faciamus ad caetera, quae in Evangeliario Codice Forojuliensi digna observatione reperiuntur. Haec sunt, marginales Notae, quae nihil cum Evangelii textu habent commune. Has porro singulas fideliter describere curavi studio admodum junicundo, cum innumera propemodum in eis legantur non Latinorum modo, sed Gothorum, Langobardorum, Theutonum, Illyricorum, Bulgarorum barbara nomina, quae non dubium, nec uno eodemque tempore, aut loco scripta fuisse, sed pro varia conditione Codicis, modo uno, modo alio in loco consistentis, & pro Nationum diversa locutione, quae iisdem in locis dominabantur. Ne quaeso refugiant, mi Blanchine, aures tuae audire nonnulla ex primis sex foliis excerpta nomina. *Cuopald, Erimilda, Regelenda, Malamila, Jusinig, Foskoro Subdiacono, Antelf Presbiter, Lauprat, Frigigund, Gottepret, Gisarde, Flodeberte, Habraham, uxor ejus Juridica, Bedasclavo filius eorum, Thesica Presbiter, Nepokor, Brasdlavo, Zilezena uxor ejus, Hesla, Stregemil filius eorum, Dracig, Cranidoi, Walthier, Audeberte, Hengherioch, Odelrich, Arfret, Reginhert, Grimalde clericus, Pergirdruda, Roteperga, Hilduinus Presbyter, Engelberte, Hilgindruda, Hululolt, Erpahd, Margareza, Elisabata, Ellanpertus, Boselisa, Sobernuscla, Sclauvenca, Elmeric, Theutherich, Wicpald, Kerlot, Eginulfus, Drago, Centeska Gisleberte Diaconus, Erthicnderte, Ruotpold, Jacob, Orso Diaconus, Angelarius, Adelbertus, Brasclava, Giusuldruda, Brasclavo, Kelmker, Radoslau, Moisclava, Dobrasclava, Bollesclava, Menadraga, Audalde*, & cetera hujusmodi.

(4) Longiusculae autem notae haud negligendae sunt. In primis fol. 6. *Leo Diacones, misereatur tibi Deus, & perducat te ad honorem Sacerdotalem. Amen.* Formula haec forte erat precationis proxime ad Sa-

ad Sacerdotalem dignitatem provehendi, sive acclamatio inter ipsam ordinationem usitata. Etiam Sacramentum Ordinationis inter mysteria arcana, non omnibus propalanda, Christiana antiquitas habuit. *Quod non oportet ordinationes*, ait Laodiceni Concilii Canon 4. *sub conspectu audientium celebrari*; seu, ut vertit Isidorus Mercator, *praesentibus Cathecumenis*. Et D. Chrysostomus Homil. 18. scribit: *qui in Sacrum Ordinem cooptaturus est aliquem, Fidelium* PRECES *exigit illo tempore: atque illi assensu suo, quae geruntur, comprobant, & acclamant illa, quae nota habent initiati. Nam apud eos, qui initiati non sunt, omnia retegere fas non est*. Haec didicimus ex Eruditissimo Emanuele a Schelestrate *de Disciplina Arcani*, cap. 2. art. 2. qui locum Chrysostomi citat ex Casaubono, *Exercit.* 16.

A tergo ejusdem folii 6. charactere non admodum antiquo sequitur haec alia longior Formula, † *Pleps sancta, ac Deo serviens, quod audire cupit, & videre desiderat. Sicut gavisi sumus de Nativitate Domini nostri Jesu Christi, ita & de Resurrectione ipsius nos omnes mereamur gaudere. Audistis, Fratres Karissimi, nos sumus habi ..... nde diem Sanctum Sacratiss. Paschae id ...* XVII. *die de mense April. erit Pascha &c.* † *Caput vero Sexagesimae se ... vigesimo die de mense Februario &c.* † *Regnante D. N. Jesu Christo, cui honor, & gloria in saecula saeculorum. Amen*. Hac eadem etiam hodie ferme utitur formula Ecclesia nostra Forojuliensis denunciando Sacratissimum Pascha, & diem Cinerum, in Festo Epiphaniae post cantatum Evangelium. Eam teneas: *Plebs sancta, Deo serviens, hoc cupit audire, quod & videre desiderat. Sicut ergo gavisi estis de Nativ. D. N. Jesu Christi, ita & de Resurrectione ejus annunciamus vobis universale gaudium. Quapropter, Fratres Carissimi, annuntiamus vobis diem Sanctum & sacratissimum Paschae, quae erit die .... Caput vero jejunii, die .... Ut sit pax, & gratia Domini Nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*. Qui ritus denunciandi Pascha hac ipsa die Epiphaniae, imo & alia Festa mobilia, praecipue in nostra Italia viguit. Et quamvis non omnes insigniores Ecclesiae eamdem saltem antiquam formulam nunc retineant; tamen Pontificale Romanum *Part.* 3. in Festo Epiphaniae eam praescribit & ordinat. Adeundus propterea Cl. Martene *de Antiq. Eccl. Discipl.* cap. XIV. qui originem hujus ritus inquirens, innixus auctoritate Em. Cardinalis Baronii a magno Concilio Nicaeno eam derivat: quod Patriarchae Alexandrino in mandatis dedit, ut calculos adhiberet, & computum, ad inveniendam Dominicam, in qua Ecclesia celebratura erat Sanctum Pascha, atque Ecclesiis per Aegyptum id significaret, quamvis non generatim singulis. Hoc enim praestabat per se Romanus Pontifex, ut, contra Dominicum Macrum, fultus praecipue auctoritate S. Isidori, strenue probat incomparabilis Vir Em. Cardinalis de Lambertinis, hodie BENEDICTUS PAPA XIV. in

suis

ſuis doctiſſimis *Annotazioni ſopra le Feſte del Signore*, Titulo, *della Feſta della Epifania* §. LXXVI. cui dierum longitudinem, pacem, & temporum felicitatem boni omnes precantur.

In recitata itaque Formula noſtri Codicis, annuntiatur futurum Paſcha die XVII. menſis Aprilis, & Sexageſima, die XX. menſis Februarii, *ſeptimodecimo die de menſe April. erit Paſcha. † Caput vero Sexageſimae ſe .... vigeſimo die de menſe Februario.* Hic deſignatus annus quaerendus eſt, & habebimus etiam annum, quo nota, ſeu formula fuit in Codice deſcripta. Non alio ſane, quam Saeculo XIV. quaerendus eſt annus ille, in quo tres Paſchae fuerunt celebratae die XVII. Aprilis. Nempe anno 1351. 1362. & 1373. Et ſiquis mavult aſſignare Saeculo XV. ſeligat annos 1435. 1446. 1457. (non autem 1468. qui fuit biſſeſtilis, propter rationem mox afferendam) quibus eodem die 17. Aprilis pariter recurrit Paſcha. Annuntiatur etiam, ut vidimus, *Caput*, ſive Dominica *Sexageſimae*, *vigeſimo die de menſe Februario*, contra morem & ſtylum Pontificalis Romani, necnon recentiorum Mſs. Ritualium, in quibus non de *Sexageſima*, ſed de *Septuageſima* populus admonetur. Equidem in ſupra memoratis annis incidit Dominica Sexageſimae ipſo die vigeſimo Februarii: ut propterea error ſuſpicari non poſſit, quod pro *Septuageſima*, ſcriptum fuerit *Sexageſima*, excepto anno 1468. quia, ut diximus, erat biſſextilis, atque adeo excipiendus.

Alium quoque Ritum hoc loco mihi proferre liceat, Vir Eruditiſſime, noſtrae Eccleſiae Forojulienſis. Eodem itaque magno Epiphaniae Feſto, ſolemnem Miſſam cantaturi, e Sacrario progrediuntur Sacris veſtibus induti, Sacerdos cum Diacono, & Subdiacono, & aliis Miniſtris. Diaconus galeam in capite geſtat, manu dextera gladium evaginatum gerens. Ubi perventum eſt ad Altare majus in medio Chori, ad quem per duodecim gradus eſt aſcenſus, deponit Diaconus inſignia militiae, & incipitur Miſſa. Hora Evangelii ea reſumit, & procedit ad paratum locum, nempe hac die ad ſummitatem ſcalae, quo commodius poſſit a Populo videri, & Sanctum Evangelium audiri. Haec praecipua & magis plana mihi videtur eſſe ratio, cur in edito loco, ſive Pulpito, ſeu Suggeſtu, aut Ambone non tantum caneretur Evangelium, ſed & Sermones haberentur, Lectores, Sacros Libros legerent, Fidelium nomina ex diptychis recitarentur, Feſta, & caetera, quae magis populo nota fieri intererat, promulgarentur. Depoſitis iterum inſignibus, ex odeo canit Diaconus Evangelium tono longe ſolito diverſo, per antiquas notulas diſpoſito. Quo finito, formulâ ſupra laudatâ S. Paſchae diem annuntiat: & iterum galea, & enſe armatus procedit ad Altare; &, facta Celebranti reverentia, exuitur; completaque Miſſa, reſumit, ad Sacrarium cum ceteris reverſurus. In alio vetuſto Codice Evangeliorum per anni Feſta diſpoſitorum, quem Diaconus hac die ſolet deferre, ſic notatum legitur: *ſequens Evangelium dicitur*

dicitur ad Missam in die sancto Epiphaniae, tenendo ensem evaginatum: cum quo Diaconus galeatus Sacerdotem concomitans, & Subdiacono concomitatus, ad Altare incedit, CUM NATUS ESSET JESUS „ &c. Hujus ritus Forojuliensis Ecclesiae meminit Dominicus Macrus in suo *Hierolexico*, verbo *Evangelium*. Sed nescio an ipsi, an typographo vertendum, quod loco *Forojuliensis*, scribatur *Forilivienss*. Qui autem librum illum Italice vertit hoc titulo, *Notizia de' Vocaboli Ecclesiastici*, correxit hunc errorem. Joseph Catalanus, *de Codice S. Evangelii* Lib. 2. cap. xx. tamquam rem scitu dignam, refert ex supracitato *Hierolexico* ritum hunc Forojuliensis Ecclesiae. Sed praeter errorem loci, & alium vir doctus incaute adoptasse videtur, hoc fieri nempe ad indicium meri & mixti imperii Ecclesiae universalis, ut habetur in *Notizia &c.*, cum sit particularis Ecclesiae Forojuliensis. Finita Missa, Diaconus populum dimissurus, hac utitur formula: *Ite vos, regat ille, apparens Stella duce, supra quo paterna vox, ut hodie, missa est*: de qua idem Macrus, *Notizia de' Vocaboli Ecclesiastici*, verbo *Evangelio*. Sed & aliâ simili olim utebatur in die Natalis Domini; & est, ut sequitur: *Ite benedicti & electi in viam pacis: pro vobis Mariae Filius hostia missa est*: ut in eodem mox citato Evangeliario legitur. Peculiarem hunc ritum benedicendi populum non alibi animadvertere licuit, quam in Mediolanensi Ecclesia, ut docemur ex quodam libro impresso anno 1449. cui Titulus, *Rationale Caeremoniarum Missae Ambrosianae*, ex quo in gratiam Eruditorum nonnulla excerpsit Cl. Ludovicus Antonius Muratorius Tom. IV. *Antiquit. Italic. medii Aevi*, Dissert. 57. *de Ritibus Ambrosianae Ecclesiae*, pag. 839. &, quae sequuntur, ex eodem libro adnotavit: *Sacerdos se volvens ad Populum, dat benedictionem, prout competit diei. Una habetur communis, videlicet: „ Benedicat vos Divina Majestas † Pater, † & Filius, † & Spiritus Sanctus. Amen, „ Sunt nonnullae aliae benedictiones, quae more Ambrosiano in usu sunt, secundum occurrentiam diei, & Missae; videlicet in Adventu Domini dicitur: „ Per Adventum Domini Nostri Jesu Christi benedicat vos Omnipotens Pater, & perducat ad gaudia Regni Paradisi. Amen. „ In die Nativitatis Domini, ac per totam Octavam dicitur: „ Pro Nativitate Domini Nostri Jesu Christi benedicat vos „ &c.* Additque eruditissimus Collector se omittere reliquas Benedictiones, monetque nunc unam tantum haberi.

Obscuritatem non modicam nobis faciunt Notae sequentes: Prima legitur fol. 83. inter utramque columnam, ubi & notatur caput LX... (62) incipiens his verbis, *Et factum est: cum consummasset Jesus sermones* (hos) *omnes* Matth. cap. 26. 1. Legitur quidem literis grandioribus, *de Autentica* III. *filia*, textus autem minoribus, quae ejusdem aetatis esse videntur. Secunda Nota est fol. 89. inter utramque pariter colu-

mnam, & habet, *de Autentica* v. *filia*, ad illum versiculum 1. cap. 27. Matth. *Mane autem facto, consilium fecerunt* (omnes) *Principes Sacerdotum*. Tertia est fol. 244. in ejus summitate secus numerum cap. xxv. incipientis, *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisaei* Joann. 11. 47. ubi lego, *Parabula secunda de Autentica*. Quarta similis nota fol. 248. sic, *Parabula prima de Autentica*; illico post num. capitis xxxviii. *Haec locutus est Jesus: & abiit, & abscondit se ab eis* Joan. 12. 36. Demum fol. 249. a tergo, in summitate columnae dexterae, *Parabula quarta, filia de Autentica*, ad ea verba, *Ante diem autem festum Paschae sciens Jesus* Joannis 13. 1. De hoc nomine *Authentica* non est disputandum; eo enim Hebdomada Major, sive Sancta appellabatur. Quod praecipue videre licet in Ritualibus, & Missalibus Ambrosianis, in quibus legitur *Feria* 2. *Feria* 3. *Feria* 4. *in Authentica*. Vir Clariss. Lud. Ant. Muratorius loco cit. publicavit Ordinem Ceremoniarum Ecclesiae Mediolanensis, circiter annum 1130. cujusdam Beroldi Mediolanensis, in quo hanc Rubricam habemus, *de Feria quinta in Authentica*: nec alio nomine usquam in toto suo *Ordine* designat Hebdomadam Majorem: *Magister autem scholarum*, ait ille, *facit semper puerum suum legere primam* (Lectionem), *quisque in sua hebdomada, excepto in* AUTHENTICA, *& in Resurrectione &c.* = *& Notarius semper canit primum Responsorium in Lectiones jussu Primicerii sui in diebus Dominicis, & in Quadragesima, & Festis, excepto in prima turma Natalis Domini, & Epiphaniae, & in Dominica de Caeco, & in* QUARTA FERIA, *&* QUINTA FERIA DE AUTHENTICA. „ Quid autem sibi velint hic alia verba *Parabula*, *Filia*, fatemur nos omnino ignorare. Quandoquidem quod verbum magis accommodatum inveniri poterat ad designandam Hebdomadam illam, in qua memoria recolitur illius Passionis, & mortis, qui indubium nostrae Fidei testimonium venit in mundum, estque authenticus liber, authenticumque originale Instrumentum totius Catholicae Religionis?

Fol. 91. ad illa verba Matth. 27. 23. *At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur &c.* legitur, *ad panus Ecclesiae lavando*. Sed *levando* potius legendum putarem, ex frequenti literarum mutatione, posita lit. *a* pro *e*. De nullo enim peculiari ritu, & quidem solemni, mihi saltem constat, quo Ecclesiarum *pannus*, sive linteamina pro Altaribus, & Sacrificio deputata *lavari* consueverint. Contra vero omnes vel mediocriter in rebus Ritualibus versati sciunt, Altaria, vasa sacra, sed & parietes ipsos, & pavimenta Ecclesiarum ablui, & purificari ex praescripto solere. Non ergo de *lavando*, sed de *levando panno* ritus hic innui videtur. Etenim ex supradicto *Ordine* Beroldi Mediolanensis habemus, officium fuisse in Ecclesia Mediolanensi minoris Custodis, *portare pannum super Altare* in Ecclesia Aestiva; & Cicendelarii, *reportare* in Ecclesia Hyemali *pannum* Altaris,

& con-

& consignare Rotulario Ebdomadario in Ecclesia Hyemali. Idem habetur, ubi *Incipit Ordo Missae*. Quid autem sit *pannus*, ex eodem Ordine, sub hac Rubrica, *Qualiter Officium Quadragesimale celebretur in Ecclesia Hyemali*, agnoscimus: ait enim, *In Quadragesima Altare Hyemalis Ecclesiae debet cooperiri cortinâ illa sericinâ, in qua continentur tres Historiae, prima Abrahae, secunda Joseph, tertia David, usque ad horam illam diei Parasceve, in qua dicit Diaconus*, inclinato capite, emisit spiritum. *Et super cortinam ponitur* PANNUS NIGER, *usque ad Ramos Palmarum: & Ostiarius ebdomadarius ponit* PANNUM NIGRUM *super mensam Pulpiti. In* AUTHENTICA *autem ponit* RUBEUM. Itemque ex alia rubr. *Processio ab Ecclesia S. Laurentii in Ecclesiam Hyemalem*, clarius innotescit quid sit iste *pannus in* AUTHENTICA: ait enim, *in Ecclesia Hyemali Altare cooperitur* PALLIO RUBEO, *ablato* (panno) NIGRO, *qui est super cortinam* = *Primam, & secundam* (Lectionem) *in* AUTHENTICA *legit Notarius jussu Primicerii sui. Et primus, Responsorium cantat similiter Notarius in* SECUNDA FERIA, *&* TERTIA *jussu Primicerii. In* QUARTA, *&* QUINTA, *& in* SEXTA. Additque in fine, *Praetermisimus etiam, quod in hac praedicta Quadragesima Ostiarius hebdomadarius ponit* PANNUM NIGRUM *super mensam Pulpiti. In* AUTHENTICA *ponit* RUBEUM. „ Ex quibus satis manifeste apparet, perperam fuisse scriptum in Codice nostro, *lavando*: agitur enim, ut diximus, de *levando*, sive de una ad aliam Ecclesiam, de uno ad alium locum *portando*, & *reportando* panno ad cooperiendum Altare, & Pulpitum. Cumque in die Parasceve poneretur *niger*, ablato *rubeo*, quando recitabantur illa verba Evangelii de Passione Domini, *& inclinato capite emisit spiritum*, etiam in nostro Evangeliario idem ritus designari videtur ad illa verba, *at illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur*. Quae prolixiori calamo tradita sunt; cum de *Authentica* frequens mentio habeatur in Cod.

Antequam vero de Codicis Forojuliensis varia fortuna differamus, ubi nempe scriptus, quando Aquilejam, quando Forojulium venerit; alias Notas hic subtexere placet, quae multorum Principum nomina produnt; ut per haec indicia, & eorum quaedam facta, nobis viam faciliorem & magis tutam, veritatem quaerentibus, paremus.

Non foliorum in Codice ordinem, sed temporum tenentes, nobis primo loco occurrit nomen Theodelindae Reginae fol. 107. sic, *Teodelinda R.* Filia haec fuit Gribaldi Ducis Bavariae. Clara apud posteros ob strenuam navatam operam pro defensione Catholicae Religionis. Hoc praecipue testantur Epistolae Magni Gregorii ad eam datae an. 584. Primas nuptias Veronae celebravit cum Autari Langobardorum Rege, ut nos docent Dialogi ipsius Sanctiss. Pontificis.

D 2 Autari

Autari vita functo an. 590. Theodelinda suorum Langobardorum assensu & voluntate secundum sibi delegit sponsum, & Regni successorem Agilulfum Ducem Taurinatem. Hic primus creditur hujus Gentis Catholicus Princeps, (quamquam non desint, qui eum Arianum dicant) conjugis ipsius operâ. E vita migravit anno 615. post multa bella egregie contra Gentis suae Duces gesta; pace autem cum Forojuliensi firmatâ.

Fol. 69. a tergo, *Liutprand R.* Liutprandus Langobardorum Rex regnavit ab anno 712. usque ad annum 744. Ejus in Deum pietas, & in rebus gerendis magnitudo maxime enituit. Praecipue vero, quod anno 713. Langobardorum Leges per Rotari, & Grimoaldum Reges datas ipse sapienter auxit; quae possunt legi apud Cl. Muratorium Tom. I. Part. II. Rerum Italicarum: cujus propterea praeclara facinora, Langobardorum Nationi magnum apud caeteras Gentes nomen, & gloriam conciliarunt.

Eodem loco praecedit nomen Liutprandi, *Ratchis Rex*. Pemmoni Patri suo successor datus fuit in Ducatu Forojuliensi anno 731. ab ipso Liutprando, qui Pemmonem Ducatu spoliavit ob sacrilegum facinus contra Patriarcham Aquilejensem, qui Forojulium se receperat, molitum. Ratchisius jam Regno potitus, dum anno 749. totus erat in obsidione Perusiae, hortatu Zacchariae Pontificis rerum caelestium amore captus, prius ad ejusdem Pontificis pedes provolutus unâ cum uxore Tesia, & Filia Rattruda, mox Regalibus exutus indumentis, habitum monasticum induit. Hae, in quodam monasterio non longe a monte Cassino ab ipsis erecto; Ratchisius vero, in ipso monte Cassino, ubi sanctissime vixit, & mortuus est.

Fol. 89. legitur, *Aistulfus Rex Ner.* Frater is fuit Ratchisii, & in Regno successor anno 749. Quòd porro totius Italiae imperium animo versaverit, & habere tentaverit, apud posteros celebratur. Pipinus, qui Galliis dominabatur, a Stephano II. Papa vocatus, Romam ab Aistulfo obsessam liberavit; nec non & alias urbes ab eo injusto bello captas recuperavit, quarum liberam, & solemnem Ecclesiae Romanae donationem fecit.

Folium 102. a tergo quatuor Principum nominibus ornatur: *Anselmus Dux*, *Giseltruda soror*, *Petrus Dux*, *Ursus Dux*. Anselmus Dux Forojuliensis successit Ratchisio anno 744. quo is ad Regnum evectus est. Ejus etiam exemplum imitatus, terreni Regni spretis fallacibus divitiis, & quaerens caelestes, anno 749. monachum induit cucullum, in loco, qui dicitur Fanano, territorii Mutinensis. Anno 752. celebre fundavit Monasterium Nonantulae, quod cum per quinquaginta annos sanctissime gubernasset, ad Caelum migravit anno 804. in Sanctorum album relatus. Giseltruda ejus soror Aistulfo Regi nupserat. Anselmus in Ducatu Forojuliensi Petrum successorem habuit,

buit, cujus frater erat Urſus Dux Cenetenſis. Hujus nobilis memoria exſtat in Eccleſia Forojulienſi, parva ſcilicet Tabella, ſive Diptychum ex ebore vulgo *Pace*. Quo nomine etiam antiquitus hae Tabellae vocabantur. Concilium Auxonienſe celebratum anno 1287. habet, *aſſer ad pacem*. Et apud Martonenſe anno 1300. *tabula pacis* dicitur. Communicatio pacis inter primos fideles, a viris ſeparatis mulieribus, dabatur mutuo oris oſculo; in oſculo ſancto ſalutantes ſe invicem, quandocunque ſimul, ſive ad orationem, ſive ad ſynaxim, ſive ad alia pietatis officia conveniebant, ut nos docet Apoſtolus. Sed, quòd hominum ingenia ad malum prona fierent, in pacis, & veri amoris ſymbolum ſubrogatae fuerunt ſacrae imagines, (quae oſculandae etiam hodie porriguntur) plerumque Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixi, qui eſt vera pax, & in cujus oſculo debemus ſemper vivere, & mori. Jam pene obſoleverat etiam haec mutuae inter Fideles caritatis teſſera; cum Sanctus Philippus Pater noſter, qui totus in eo fuit, ut Apoſtolicae, atque primaevae aetatis officia, aut collapſa repararet, aut nutantia ſuſtineret, (uti orationem quotidianam, verbi Dei praedicationem, atque perſeverantiam in fractione panis Chriſti) hunc piiſſimum uſum reſtituit. Itaque in Forojulienſi Tabella viſitur ſculpta Jeſu Chriſti in Cruce morientis imago. A dextero latere, Mater Virgo Maria; a ſiniſtro, Sanctus Joannes dilectus diſcipulus ſtantes cernuntur. Supra caput Virginis, legitur M̄. EN. FIL. TUUS. *Mulier, en Filius tuus*. Supra illud Apoſtoli, AP̄. ECCE. M. TUA. *Apoſtole, ecce Mater tua*. Et per duo Crucis brachia, URSUS DUX FIERI P̄CEP̄. *Urſus Dux fieri praecepit*. A dextero, & a ſiniſtro latere ſupra duos Crucis angulos conſpiciuntur duae figurae circulis incluſae, nempe *Sol*, & *Luna*, in humano vultu, ad quarum latus, ſive manus, faces accenſae ſunt. De his ſymbolis in Diptychis ebore dolatis copioſe, & erudite diſſeruit Clariſs. Vir Philippus Buonarrota in Opere ſatis noto, cui titulum fecit, *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro*: ad cujus libri calcem tria ex ebore diptycha illuſtrans, & Forojulienſem hanc noſtram Tabellam in exemplum adducit.

Fol. 30. legitur *Domine, miſerere famulo tuo Orſo Diacono. Domine, miſerere ſervo tuo Joanni Clerico, & Rotkecaudo Duci*. Rotgaudus Ducatum Forojulienſem accepit regendum anno 774. quo Carolus M. victo Deſiderio Rege, Italiam a Langobardorum ſervitute liberavit. Eorum Duces ſe omnes victori Carolo dederunt, inter quos & Rotgaudus noſter, qui Ducatus confirmationem obtinuit. Sed, cum poſt biennium a Carolo defeciſſet cum ſuis, occiditur: qua de cauſa Forumjulium tunc venerat Imperator.

Fol. 3. a tergo, *Lodohicus Imp. Ingelberga Regina*. Hic non alius eſt, quam Ludovicus II. Lotharii filius, qui anno 850. uxorem duxit Ingel-

bergam,

bergam, aliis *Angilbergam*, & *Engilbergam*, quo anno, vel etiam praecedenti 849. coronatus fuerat Imperator, uti Rex Italiae jam ab anno 844. = Signum †, quod praemittitur ejus nomini, indicare videtur ſcriptum fuiſſe ſtatim poſt ejus mortem, quae accidit anno 875. Ingelberga defuncto marito ingreſſa eſt monaſterium Sanctae Juliae Brixiae. Ad eam literas dedit Joannes VIII. Papa, quas, poſt Baronium Tom. x. ad annum 377., recitat Angelica Baitelli in *Annalibus Hiſtoricis* Regii Monaſterii Sanctae Juliae. Carolus, qui Ludovico ſucceſſerat, cum exilio Ingelbergam mulctaſſet, atque *in Alemanniam traduxiſſet*, *per Ludoardum Vercellenſem Epiſcopum Joanni Papae*, *ſicut petierat*, *Romam remiſit*, ut habent Annales Francorum Sancti Bertini ad annum 882.

Fol. 4. Graeci Principes occurrunt *Joannes Imperator*, *& uxor ejus Tecla*. Non alius is mihi videtur, quam Joannes Tzimiſcies creatus Orientis Imperator anno 968. Multis victoriis enituit, ſed inter caeteras memorabilis fuit, quam anno 971. de Ruſſis retulit; ex quorum manibus recepit Perſthlavam Urbem Metropolim Bulgariae, & ſpoliis onuſtus Conſtantinopolim ſolemni triumpho eſt ingreſſus. Scriptores, uxorem ejus Theodoram vocant, filiam Conſtantini VII. Carolus Ducangius in ſua *Hiſtoria Bizantina* alteram ſive ſecundam memorat, nomine Mariam, ex familia Seleri. Aut igitur tertia uxor danda illi eſt, nomine *Theela*, ut in noſtro Codice; aut pro *Techla*, legendum *Theodora*. Apud laudatum Ducangium duas tantum Techlas mihi invenire licuit. Una uxor fuit Imperatoris Michaelis Balbi, qui obiit anno 839. altera filia Theophili, quae poſt ſponſalia cum Ludovico II. Imperatore inita, in Monaſterium ſe recepit.

Fol. 3. a tergo ſic lego: *in primis Rex illorum* (Bulgarorum) *Geor.* Duo hoc nomine Bulgarorum Reges apud Du-Freſne reperiuntur in ſupra laudata Hiſtoria Bizantina, *Diſſert.* VI. Primus in ordine eſt numero XLII. Is regnabat temporibus Nicolai Papae IV. cujus ſuperſunt Epiſtolae ad Helenam Serviae Reginam, datae anno 1291. ut Regem Bulgarorum induceret ad Catholicam fidem amplexandam. Secundus Georgius eſt in ſerie Regum num. XLV. & vivebat poſt annum 1323. Horum fortaſſe nullus ad Codicem noſtrum ſpectat. Verum ſupplenda ſeries horum Regum videtur, quam adornavit Eruditiſſimus Du-Cangius loc. cit. *Tractat. de Familiis Dalmaticis*; *&c. Diſſert.* VI. *Series hiſtorica*, *& Genealogica Regum Bulgariae*, pag. 239. Tertius, inquam, adeundus Rex Georgius, locuſque ei dandus inter Baldimirum, cujus Regni initium ignorat Auctor, & Bogorim; propterea que hujus Georgii tempus ſtatuendum circa initium Saeculi noni.

Ad Occidentales Principes revertimur. Fol. 12. legitur: *Domno Karolo Imperatore. Domno Liutzuardo Epiſcopo.* Ut autem ſciamus, cujuſnam Caroli hic mentio fiat, prius quaerendum puto, quis ſit iſte Liutzuardus Epiſcopus. Cum enim ſimul juncta eorum nomina habeantur,

una-

unaque characteris forma sit, etiam uno eodemque tempore scripta fuisse pro certo habeo. Sed & eodem tempore vixisse, & quadam rerum gestarum necessitudine conjunctos suspicari possumus. In Italia Sacra Ferdinandi Ughelli inter Episcopos Ticinenses unum invenio nomine *Luitardum*, sive *Lintardum*, & *Luitprandum*, qui vivebat anno 830. obiitque anno 864. Inter Vercellenses vero reperitur *Luiduardus*, sive *Luthuardus*, aliis etiam *Trussardus*, & *Ludmarus*, Archicancellarius Caroli Crassi Imperatoris. Vitam agebat Luituardus Episcopus Vercellensis anno 880. quo anno ei scripsit epistolam Joannes VIII. Papa, quae etiam inter Decretales recensetur; quique creditur vitam produxisse usque ad annum 901. De eo haec habet laudatus Ughellus in Praefatione ad Episcopos ejusdem Ecclesiae: *Erant enim*, inquit, *Vercellenses Episcopi Regni Italiae Archicancellarii, antequam a Gregorio V. Pontifice in Romani Imperii ordinatione Coloniensibus Archiepiscopis id munus demandaretur. Primum omnium Luiduardus Vercellensis Episcopus a Carolo II. Imperatore Archicancellarius factus est anno Domini* 890. *eoque tum munere reliqui deinceps Vercellenses Episcopi diu perfuncti*. Hic Luiduardus, ipse est, qui in Germaniam traduxit Ingelbergam uxorem Ludovici II. (de quo supra vidimus ex Annalibus Bertinianis, cum de Ingelberga nobis sermo esset) quique a Doctissimo Mabillonio in sua Diplomatica pag. 120 vocatur *Liutwardus*; ubi lectorem admonet, Carolum Crassum duos habuisse Cancellarios, *Liutwardum scilicet Episcopum Vercellensem*, & *Liutpertum Episcopum Moguntiacensem*. Apud Muratorium in Antiquitatibus Italicis medii Aevi tria extant diplomata, in quibus fit mentio hujus Episcopi Vercellensis. Primum spectat ad annum 883. in quo Carolus Crassus Joanni Presbytero confert Curtem Mauriaticam, cum Ecclesia (Veronensi) Sanctorum Firmi, & Rustici. Huic autem subscribit, *Liutfredus Notarius ad vicem Liutwardi Archicancellarii*, Tom. II. Dissert. XIX. pag. 47. Alterum est diploma Ludovici III. qui anno 901. ad Episcopi preces Hirrado Vasso dono dedit Curtem quamdam cum Capella: *quoniam*, inquit, *Leotoardus Venerabilis Episcopus, dilectusque Archicancellarius noster, nostram adiens excellentiam, enixius postulavit &c.* ibid. Tandem Tom. III. diss. XXXIV. pag. 317. Otto Imperator hujus nominis tertius anno 999. confirmat Leoni Episcopo jura, & bona omnia Vercellensis Ecclesiae, & *maxime, quae Carolus Imp. Liutvvardo Episcopo aut dedit, aut reddidit*. Itemque Clariss. Mabillonius nonnulla profert documenta cum subscriptione *Liutvvardi Episcopi, & Cancellarii*. Et inter eorumdem diplomatum Notarios, quidam nomine *Salomon* invenitur. Quod addo, eo quia in nostro Codice paulo post nomina Caroli, & Liutzuardi, legitur *Salomon Diaconus*. Supra laudatus Ughellus etiam inter Episcopos Comenses recenset *Luitardum*, qui electus fuit anno 891. *factusque*, ut subdit, *Imperii Cancellarius a Ludovico IV. a quo cum suis Successoribus donatus est Ab-*

batia de Incoronata prope flumen Abduam. Noster Bernardus Maria de Rubeis supra citato loco *Monum. Aquil.* cap. I. num. VII. Epistolam refert cujusdam Romani Pontificis ad Valpertum Patriarcham Aquilejensem, monentis, ne ultra debeat differre consecrationem Lutwardi electi in Episcopum Comensem. Prostat haec sub nomine Stephani in Decreto Ivonis, Part. v. cap. 13. Sed vir doctus evincit ad neminem hujus nominis Pontificem spectare posse; atque Ughellum emendat, qui Luitwardum dat successorem Agilberto anno 891. cum dumtaxat anno 901. Heilberto successerit. Quare cum hoc anno nullus Stephanus, sed Benedictus IV. Christianam moderaretur Ecclesiam, recte concludit, Epistolam a Benedicto datam esse ad Valpertum, non autem a Stephano. Carolus II. sive Carolus Crassus Filius Ludovici II. coronatur Rex Italiae anno 879. & Imperator anno 880. a Joanne Papa VIII.

Fol. 163. lego, *Teudmari Pontificis.* Theutimarus electus est Patriarcha Aquilejensis anno 850. Hoc anno Synodus coacta fuit in Urbe Regia Ticino ab Imperatore Ludovico II. cui interfuit una cum Theutimaro Patriarcha. Sed & anno 855. in eadem Urbe alteri Concilio ambo interfuere: post cujus celebrationem Imperator confirmavit eidem Patriarchae jus Metropoliticum in Gradum Insulam, & in alias partes Istriae, retroactis temporibus acerrime a Theutimari Decessoribus propugnatum. Doctissimus Pater Labbe Concil. Tom. VIII. de hoc Concilio agens, Patriarcham Aquilejensem, qui ei interfuit, *Andream* vocat; sed perperam: nam is fuit Theutimarus. De his videndus P. de Rubeis loc. cit. cap. XLI. Patriarchalem Sedem tenuit Theutimarus per quinque circiter annos.

Fol. 11. (5) *Domenico Episcopo.* Inter Aquilejenses quaerendus sane esset. Verum horum primus, qui se se hoc nomine offert, est Dominicus Grimanus anno 1498. Scriptura nullatenus hanc aetatem nimis recentem praefert. Nec nomen *Episcopi* convenit Aquilejensibus, aut Gradensibus, quorum etiam tres Dominici reperiuntur, unus post alium, circa medium Saeculi XI. qui multis retro Saeculis Patriarchali titulo fuerunt ornati. Inter viciniores itaque, occurrunt in Italia Sac. Ughell. Tom. v. numero septem Dominici Episcopi Olivolenses, quorum seriem excepit illa Patriarcharum Venetorum, omnes ab anno 866. usque ad annum 1074. Nec ulla tamen peculiaris ratio nos movet, ut horum unum potius, quam alium Codici nostro tribuamus.

Fol. 179. *Artuin. Episc.* Inter plures hujus nominis Episcopos apud Ughellum, qui ab initio Saeculi XI. usque ad finem XIII. vixerunt, seligendus videtur Artuinus Episcopus Placentinus anno 1122. antea Monachus, & Abbas Sancti Sabini. Vivebat temporibus Sancti Bernardi Claravallensis, qui ejus opera adjutus fundavit insigne Monasterium

rium Sanctae Mariae de Columba situm in eodem territorio Placentino; quod a suo Monasterio etiam Claravallense nuncupatum voluit, & anno 1135. Cisterciensibus suis Monachis addixit. Obiit Artuinus anno 1147.

Fol. 3. post hanc notulam *Werinolfus Ab.* de quo infra, longior alia se offert in hunc modum. *Hic sunt nomina de Bolgaria. In primis Rex illorum Georg. & frater ejus Dox, & alius frater ejus Gabriel. Mihahel, & uxor ejus Maria, & filius ejus Rasate, & alius Gabriel, & tercius filius Simeon, & quartus filius Jacob, & filia ejus Dei Ancella, Praxi ... & alia filia ejus Anna, Zergobula f.....* & paulo infra, *Antonius Dei Servus*. De Georgio Bulgarorum Rege jam supra vidimus: cujus familiae nomina hìc videntur texi omnium, ut puto, tunc adhuc superstitum. *Antonius* porro ille *Dei Servus*, Monasticum Institutum forte profitebatur.

Fol. 4. alia praefert illius Gentis nomina: *Wilelm. Strem. & pater ejus Johannes, & mater ejus Maria .... de Bolgaria. Qui primus venit in isto Monasterio, nomen ejus Sondoke, & uxor ejus Anna, & filius ejus Mihahel, & alius filius ejus Welecneo, & filia ejus Bogomilla, & alia K... alia, & tertia Maria, & quarta Helena, & quinta Maria, & alia: uxor ejus Sogesclava, & alius Homobonus. Petrus, & uxor ... & Georgius, Petrus, & uxor ejus Sofia*, & paulo inferius literis majoribus, *Johannes Imperator, & uxor ejus Tecla*, de quibus supra pro temporum ordine monuimus. Ex hac interim memoria certo certius colligimus, Evangeliarium Codicem hunc Forojuliensem ad aliquod Monasterium jam olim pertinuisse ex illis conceptis verbis, *qui primus venit in isto Monasterio*. Is videtur *Sondoke*, cum caeteris filiis ejus, qui in hoc Diptychum sunt omnes relati. Verum non discedendum a Provincia nostra Forojuliensi videtur, in qua plura fuisse constat, eaque insignia Monasteria. Duobus interim viis incedendum puto. Quarum unam aperire nobis posset *Werinolfus Abbas* notatus fol. 3. alteram nomina Bulgarorum, qui in istud Monasterium commigrarunt.

Credibile itaque est, Werinolfum Abbatem praefuisse illi Monasterio, in quo Codex noster servabatur, quo tempore iidem Bulgari illuc venerunt. Quis autem is fuerit, nullibi invenire potuimus. Nulla enim Abbatum Monasteriorum Provinciae Forojuliensis series fuit hactenus concinnata, (si tamen Monasterium, de quo quaerimus, in hac Provincia fuit, & non potius in Mediolanensi) nec, quae vidimus, vetusta monumenta nobis illum produnt.

Alia itaque via tentanda est, ut, si fieri possit, discamus ex quo Monasterio prodierit Codex noster; & quam Werinolfus Abbas non valuit nobis aperire, videndum an Bulgari, quorum multa nomina in Codice legimus, nobis commonstrent. In Historia Ecclesiastica memorabilis est Bulgarorum ad Catholicam fidem conversio, quae

accidit anno 861. ſub Pontificatu Nicolai I. Rege eorum Pagano *Bogori*, ad Chriſtum autem converſo *Michaele*; ad quem celebrem Legationem miſit Nicolaus anno 866. Provincia haec noſtra Forojulienſis patuit barbaris Nationibus, & janua quaedam fuit, qua primum diſrupta, ad vaſtandum florentiſſimum Italiae Regnum irruerunt: quorum infoelicium temporum Epochas ſatius eſt ſilentio praeterire, quam infandum dicendo renovare dolorem. De Bulgaris vero, ut aliqua delibemus, hi prima vice ingreſſi ſunt in Italiam cum Langobardis anno 568. Duce illorum Alboino Rege, pluribus ac immaniſſimis aliis Populis ſociato, ut noſter Paulus Diaconus ſcribit, Lib. 2. cap. 7. *de Geſt. Langob.* Sedes ſuas poſuerunt Bulgari ad Occidentalem partem Ditionis Mediolanenſis, uti obſervavit doctiſſimus Ludovicus Antonius Muratorius, *Antiq. Ital. med. Aevi* Tom. 1. Diſſ. 1. *de Exter. Gentib.* auctoritate fretus ipſius Pauli, qui loc. cit. cap. 26. eam Mediolanenſem oram hoc deſignat nomine *Ducatus*, ſive *Comitatus Bulgariae*, deducto a Bulgaris nominis ethymo; quod & aliis exemplis Vir eruditiſſimus confirmat. Jamque per aliquot antea annos proximis Regionibus auditum erat nomen Bulgarorum; & ſub finem quinti Saeculi anno 489. in inferiori Meſia, & proximo Illyrico a Theodorico Rege non una vice praelio victi ſunt. Sed ex eodem Paulo Diacono Lib. 5. cap. 29. didicimus, a Bulgaris circa medium Saeculum ſeptimum ſub Imperatore Conſtante ſeptem Slavorum generationes fuiſſe ſubactas; a quibus proximi hi noſtri Slavi originem duxerunt. Bulgari etiam Langobardos, quondam ſocios & amicos ſuos, praelio vicerunt, occiſo eorum Rege Agilmundo. Iterum a Lamiſſio Agilmundi ſucceſſore victi ipſi, fugatique ſunt. Tandem regnante Grimoaldo circa haec tempora iterum Italiam ingrediuntur, nullo ſibi obſiſtente.

Vides, Vir doctiſſime, nullam horum temporum epocham, quae Bulgarorum in Italiam, ſeu conterminas Provincias adventum prodit, iis, quae de Natione hac in noſtro Codice notantur, poſſe accommodari; ſiquidem ſub alterutro eorum Rege Georgio, decimotertio Saeculo jam inclinante, ejus, & aliorum ſuae Gentis nomina in Codice relata fuerunt: quae ſane nobis Chriſtianos pariter produnt, quaeque frequenter legere licet apud Ducangium in Serie Regum illius Nationis; praecipue autem in Joanne Aſan, qui diem obiit anno 1241. cuique in Regno ſucceſſit Georgius Terter ex familia Selerum.

Blanchine mi amantiſſime, liceat mihi te hic interpellare cum Menalca Virgiliano: dic igitur, *dic quibus in terris, inſcripti nomina Regum naſcantur flores?* Et eris, ſatius dicam cum alio paſtore Dameta, *& eris mihi magnus Apollo*. Dic, inquam, quibus in Tabulariis, & Bibliothecis inveniantur pretioſiſſimi Codices, tot Regum, & Principum

cipum

cipum nominibus inscripti? Interim, qua es erga omnes singulari benevolentia praeditus, patienter sustine etiam extremam hanc Epistolae meae partem; quae, etsi justos fines excessit, scias, tibique certo persuadeas velim, quò officii atque observantiae erga te meae declararem, modum, atque magnitudinem, usque adeo excessisse. Quapropter quid de varia Forojuliensis Evangeliorum Codicis fortuna sentiam, breviter, atque libere dicam.

Quantum ergo fieri potest, insistamus nostrae Forojuliensi Provinciae, nec ab ea discedamus, nisi coacti, & inviti. Adhuc ergo nonnulla in Forojulio exstant Monasteria Monachorum, quamvis singula Romanis Pontificibus, ut dicitur, commendata. Sed plura olim fuisse, vel in ipsa Urbe Aquilejensi condita, cum primum in Occidente Monachorum Regula est invecta, Sanctus Hieronymus indubium facit testimonium in suis Epistolis: testaturque se iter Aquilejam suscepisse hac sola ductus religione, & pietate, ut Monachos amicos suos inviseret, ac salutaret. Rufinus etiam noster de se ipso profitetur, se adhuc Cathecumenum juxta illorum temporum consuetudinem Aquilejae in uno Monasterio degisse, in quo Monachus effectus est. De iis erudite suo more disserit P. Bernardus M. de Rubeis in saepe laudato Opere, cap. 8. ubi agit de Patriarchatu S. Valeriani, qui ad finem Saeculi quarti Monasticum Institutum plurimum excoluit, atque propagavit. Inter alia, non longe ab ipsa Urbe Aquileja, celebre quondam Monasterium fuisse perhibetur Sancti Joannis in Carso prope Timavum flumen, quod tamen non ultra Saeculum VII. extitisse credidit, ex antiquo lapide inibi reperto, D. Basilius Asquinus Clericus Regularis S. Pauli, in quodam Libello: *Ragguaglio Geografico del Territorio di Monfalcone*. Volricus quoque Patriarcha, qui ab anno 1085. usque ad annum circiter 1121. Sedem tenuit, in quodam documento a Clar. de Rubeis edito, Ecclesiam S. Joannis de Timavo, *nominatissimum quondam Monasterium* vocat. Exstabat autem adhuc sub finem XIII. Saeculi, quo vivebat Georgius I. Bulgarorum Rex, aliud Monasterium, nunc extra muros Aquilejae nuncupatum S. Martini *della Belligna*, cui illud Sancti Joannis de Carso unitum fuerat, ut ex alio documento Patriarchae Volrici manifeste apparet, quamvis de tempore non constet. Illud tandem S. Martini, per Nicolaum V. Summum Pontificem, anno 1453. Metropolitanae Ecclesiae & Capitulo Aquilejensi perpetuo adjicitur. Ad hoc Monasterium si Evangeliarius Codex aliquando pertinuit, non simul tamen cum toto Monasterio ad Capitulum Metropolitanum potuisse devenire patet ex ipsa memorata unione, quae accidit postquam Codex jam in potestatem devenerat Venerabilium Canonicorum Forojuliensium.

Verum conjecturas, quibus huc usque certavimus, ne de Patria

nostra Codicem, quem prae manibus habemus, ullo unquam tempore removeremus, nullas adhuc video, quae gravissimis difficultatibus obsitae non sint. Quare, ut ingenue fateamur, eam sententiam libenter amplectimur, quae omnium prima nobis in mentem venit, nimirum Codicem Forojuliensem scriptum fuisse in Ticino Civitate, sive ejus Territorio. Me movent imprimis quatuor illi Langobardorum Reges in marginibus signati, qui in illa Urbe suam Sedem habuerunt. Praeterea mecum ipse reputabam, Theutimarum Patriarcham Aquilejensem anno 855, (qui semel, atque iterum Synodali conventui in eadem Urbe interfuit) hunc sacrum Evangeliorum Codicem, dono, aut alio jure acceptum, ad Ecclesiam suam deferre potuisse. Et sane, uti animadvertimus, cum nullius praeterea Aquilejensis Episcopi, praeter Theutimari, nomen in Codice referatur, suspicionem non modicam nobis ingerit, rationem peculiarem esse, cur Patriarchae illius mentio habeatur. Adde, si placet, & aliam, ut mihi quidem videtur, non aspernandam conjecturam. Adde, inquam, notas illas quinquies signatas de Hebdomada Sancta sive Majori, ex ritu praecipue Ambrosiano *Authentica* nuncupata, aliosque ejusdem Ecclesiae ritus supra a nobis notatos; ut vel ex hac sola conjectura, Codicem Forojuliensem in Provincia Mediolanensi scriptum fuisse exploratissimum videri possit. Ritus enim ille a S. Ambrosio invectus, si credimus Walafrido Straboni, *de Rebus Ecclesiasticis cap.* 22. *pag.* 406. non in sola Ecclesia Mediolanensi, sed & per totam Liguriam in mores fuit inductus: *Ambrosius*, inquit Walafridus, *Mediolanensis Episcopus, tam Missae, quam caeterorum dispositionem Officiorum suae Ecclesiae, & aliis Liguribus ordinavit, quae & usque hodie in Mediolanensi tenetur Ecclesia.*

Sed quod, ni fallor, non leve suspicioni nostrae pondus addit, illud est, quod labente Saeculo VIII. nec in urbe Aquileja, aut apud ejus Patriarchas, nec forte in tota Forojuliensi Provincia hic liber exstiterit. Sanctus Paulinus, qui hanc Sedem tenuit ab anno 776. usque ad annum 802. ad refellendam pervicaciam, atque errores Felicis Urgellitani, in explicatione cujusdam loci S. Matthaei, videlicet cap. 24. v. 36. ubi loquens Christus Jesus de extremo die Judicii, inquit: *De die autem illo, & hora nemo scit, neque Angeli Caelorum, neque Filius*: Sanctus, inquam, Paulinus Lib. III. cap. 2. antiquorum Codicum fidem expostulans, qui *in scrinio suae Ecclesiae* servabantur, haec habet: *sed quoniam in antiquariis Evangeliorum authenticis, quae PENES NOS, & in SCRINIO SANCTAE NOSTRAE retinentur ECCLESIAE, FILII vocabulum in eodem Evangelii loco insertum minime valuit reperiri, & Viri Inlustrissimi, Beatus scilicet Hieronymus, (in cap.* 24. *Matth.) atque Ambrosius (Lib.* 5. *de Fid. cap.* 16.) *satis in sacro peritissimi eloquio, adfirmant ambo con-*

sona

ſona voce, lectis ſane ab eis priſcis Graecorum Codicibus, in eadem Evangelii folia FILII nomen non fuiſſe inſpectum: unde & ex eo credibile poteſt videri, longe a vero, & ex ſuperfluo additum. Quoniam, ſi ab Evangeliſta celebri fuiſſet calamo promulgatum, nequaquam poſt Angelos, FILII poſitum nomen ſpecularetur, quemadmodum in quibuſdam RECENTIORIBUS inſpicitur voluminibus exaratum: DE DIE AUTEM ILLO, ET HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI, NEQUE FILIUS. „ Num S. Patriarcha, ſi & hunc noſtrum Codicem, qui in illo Matthaei commate vocabulum FILII habet, penes ſe habuiſſet, & conſuluiſſet, cum *recentioribus* numeraſſet? Vel eum latere potuit, ſi in ejus Eccleſia, aut Dioeceſi tantae antiquitatis Evangeliarium tunc exſtitiſſet? Nec mirum videri debet, in Codice noſtro aliter legi, ac in exemplaribus a Sancto Hieronymo tanto ſtudio, & labore emendatis, ut videre eſt apud doctiſſimum Operum Sancti Patris nuperum collectorem Dominicum Vallarſi. Stat tamen pro lectione noſtra auctoritas Origenis, apud quem legitur locus ille Matthaei cum hoc additamento, *neque Filius;* uti notavit Vir Cl. Franciſcus Madriſius Oratorii Utinenſis Presbyter, qui primus multo ſtudio & eruditione Opera Sancti Patriarchae in unum volumen collecta vulgavit. Sed quidquid ſit de genuina illius Matthaei textus lectione, nihil tamen favet errori Felicis Urgellitani, ut Sacri Interpretes optime advertunt, & tu aeque noſti, eruditiſſime Blanchine.

Hinc, ſi quid in re tam remota, atque tenebris involuta, quod vero proximius eſt, afferri poteſt, hoc eſſe cenſeo. Quo tempore in Regia urbe Ticino duo Synodales conventus ſunt habiti, anno ſcilicet 850. & 855. nominibus Ludovici II. Imperatoris, Liutzuardi Epiſcopi Ticinenſis (ni potius Vercellenſis is fuit) necnon & Theutimari Patriarchae Aquilejenſis, qui omnes interſuerunt, Codex Forojulienſis fuit ornatus & auctus. Item quatuor Reges, qui in eadem urbe Ticino morari ſolebant, Teodelinda, Luitprandus, qui ſpeciali nota Rex *noſter* nuncupatur, Ratchiſius, & Aiſtulfus, dum Codex ibidem cuſtodiebatur, in eo deſcripti fuerunt. Caetera vero, quae leguntur, Principum, & Epiſcoporum nomina, poſtquam Theutimarus ex Ticino Aquilejam Codicem tranſtulit, veriſimilius puto recenſita eſſe. Haec ſunt, inter Principes, Joannes Imperator Conſtantinopolitanus, cum uxore ſua Tecla, Georgius Rex Bulgarorum, Carolus II. Imperator; & inter Antiſtites, Dominicus Olivolenſis, ſive alterius Sedis, & Artuinus Placentinus, qui omnes vixerunt poſt Theutimarum, nempe translato jam Codice Ticino Aquilejam. Quod ſi certa ratio a nobis petatur, cur horum nomina deſcripta inveniantur in hoc Evangeliario Diptycho, nullam equidem tam apertam, atque manifeſtam nobis praeſto eſſe ingenue fatemur. Verum,

ſi con-

si conjecturis locus detur, rem ita constituo. Joannes Tzmisces de Bulgarorum Gente benemereri coepit, cum de Russis, quorum Dominationi subjecta fuerat, triumphavit. Regnante vero eorum Rege Georgio, cum ipsius, tum Joannis Imperatoris, & caeterorum Bulgarorum nominibus Codex fuit refertus; cum jam esset in Monasterio Sancti Martini, seu Bellinensi, ubi custodiendum forte tradiderat Theutimarus. Qua autem occasione Bulgari in hoc Monasterium sub finem Saeculi XIII. regnante Georgio I. eorum Rege concesserint, cum penitus ignoremus, potius crederem, horum nomina fuisse scripta antequam ad nostras oras Codex perveniret, regnante alio hujus nominis Rege Georgio adhuc ignoto, ut supra innuimus, in ditione scilicet Mediolanensi, ubi & scriptum illum fuisse satis valido argumento (ni nos ipsos fallimus) demonstravimus. Joannes autem Tzmisces non erit is, qui notatur in Codice, cum ad finem X. Saeculi viveret. Propertereaque alius quaerendus est Joannes Imperator ante medietatem Saeculi IX. quo tempore supponimus librum hunc e Ticino translatum. Certum tamen est Codicem hunc, si ad Bellinense Coenobium aliquando spectavit, in Capituli Aquilejensis potestatem pervenisse antequam Eugenius IV. Monasterium illud Capitulo adnecteret. Caroli Imperatoris nomen nil mirum videri debet in Evangeliario esse descriptum, cum hi Principes haec loca tunc suo regerent imperio. Quod si hic est Carolus Magnus, ut placet Cl. Fontanino in supra citato Libello *Delle Masnade*, peculiares equidem gravesque rationes inveniuntur, cur Magni Imperatoris nomen de tota Ecclesia, & de Aquilejensi, ut omnibus notissimum est, valde promeriti, hic recenseatur. Inter quas praeferenda sane omnibus, & quae una satis esse posset, est ratio jurium & honorum, quibus Ecclesiam Aquilejensem largissime cumulavit; necnon testamentariae ejus Tabulae ab Eginardo in ejus vita relatae, confectaeque anno DCCCXI. quibus thesauros suos XXI. Metropolitanis Civitatibus, inter quas *Forumjulii* numeratur, pietate ac liberalitate summa jussit elargiri. Dominicus tandem Olivolensis, & Artuinus Placentinus Episcopi, ille ex vicinitate suae Ecclesiae cum Aquilejensi potuit aliqua ratione de hac benemereri; hic vero cum antea fuerit Monachus, nil mirum, si existente nostro Evangeliario in Monasterio S. Martini Bellinensi, aut in alio hujus Provinciae, locum hic invenerit. Quid enim tam notum eruditis, quam benefactorum nomina post eorum obitum in sacris Diptychis referri consuevisse? Concilium Tullense Tom. x. edit. Venet. apud Saponarias celebratum anno 859. can. 13. statuit, ut *post vocationem* (seu *mortem*) *cujuslibet eorum*, scilicet qui ad hoc universale totius paene Gallicanae Eccl. Concilium convenerant, *in Sedibus Episcopalibus*, *septenae Missae*, *totidemque Vigiliae* (idest *Officium mortuorum*, ut in margine notat Alex. Nat. Tom. 5. Hist. Eccl.) *Domino persolvantur*: *a Presbyteris autem*
Mona-

Monasteriorum, sive Villarum tres Missae, totidemque Vigiliae dependantur. Exitus autem uniuscujusque, vicissim piis currentibus literis innotescat.

Erunt fortasse, qui urgeant Forojuliensium Ducum nomina, quae scripta sunt in Codice nostro: omnes autem vixisse, dum Codex ipse Papiae (ut nos credimus) exstabat adhuc. Verum praeterquamquod recenseri potuere Duces isti post eorum obitum, (nam, ut diximus, solemne fuit referri in sacris Diptychis mortuorum nomina, ut cum pro vivis, tum pro Defunctis oratio fieret a Populo; cum hoc Evangeliorum libro uterentur in Ecclesia ad solemniter canendum Evangelium, ut manifestum fit ex Evangeliis Dominicarum per anni circulum ad marginem notatis) jam & ex aliis Diptychis, & ex uno in alium Codicem potuerunt transcribi Benefactores jampridem vita functi. Equidem & scriptura, quae unius ejusdemque manus mihi apparet, eorumque nomina, uno eodemque folio simul descripta, omnem prorsus dubitationem tollere videntur. Ast concedamus scriptum fuisse Codicem nostrum in hac Forojuliensi Provincia, nec ab ea ullo unquam tempore peregrinatum; quid cum Forojuliensibus Luitzardus Vercellensis, sive Ticinensis? Cur verò plurium Ducum nostrorum nomina silentur, qui in Forojulio Sedem habuerunt, suisque largitionibus de Patria multum meriti sunt? Cur tandem nullus Patriarcha legitur, praeter unum Theutimarum?

Inquirendum superest, quo tempore ex Aquileja liber iste Evangeliorum fuerit in Urbem Forojuliensem translatus. Praestaret hoc loco Forojuliensis Provinciae statum describere initio Saeculi XV. quo tempore propter exortas civiles discordias, & externa bella tota Regio rapinis, incendiis, caedibusque dilaniata fuit. Quam malorum luem, schisma in Ecclesia Aquilejensi exortum invexit. Initio enim anni 1402. Bonifacius IX. Summus Pontifex Antonium de Portugruario Aquilejensem Patriarcham dixit. Anno 1408. Gregorius XII. Antonium Patriarchali Sede privavit, anno sequenti ei suffecto Antonio de Ponte. Hinc orta animorum, partiumque studia, hinc humana, & divina conculcata, Summo Pontifici obtemperantibus Forojuliensibus, sive Civitatensibus, cum aliis plurimis Provinciae Dinastis, obedientiam vero negantibus Utinensibus, pluribus aliis sociatis. Sed & universalis Ecclesia tunc temporis diro schismate scindebatur. Cui malo ut remedium adhiberetur, anno 1409. a Cardinalibus Pisis Concilium coactum fuit. Sed Gregorius, aliud, cui ipse praesideret, indixit, locumque elegit *Civitatem Austriae, & Utinum Aquilejensis Diecoesis; quae propter propinquitatem, & cohaerentiam pro uno loco haberi debent*, inquit ille in literis Indictionis Arimini datis. Verum Utinenses cum in sententia persisterent contra Gregorium, ipse adiit Civitatem Austriam, suum Concilium inchoaturus; secumque duxit novum ab se electum

Patriar-

Patriarcham Antonium de Ponte. Synodi hujus securitatem commendaverat Rupertus Imperator, datis literis die XIX. mensis Junii *Communitati Civitatis Austriae*. Sessiones duas habuit Gregorius die 6. & 22. Junii, in quibus sententiam tulit adversus Petrum de Candia, qui sub nomine Alexandri V. proximis diebus electus fuerat tertius Pontifex, necnon & in Benedictum XIII. Tertia Sessio fuit 5. Septembris ejusdem anni 1409. Non convenientibus Cardinalibus, & Episcopis, soluta est Synodus: & die 8. ejusdem mensis e Civitate recessit Gregorius cum suo comitatu. Sed non fuerunt tuti ab insidiis, quas paraverunt *stipendiarii Domini Patriarchae* (Antonii de Portugruario) *& Utinensium*. Ex eis enim alios *coeperunt*, *alios tradiderunt morti*, *omnia bona eorum abstulerunt*. *Papa evasit solus* (mentito habitu) *cum quibusdam*, ut loquitur Auctor cujusdam Chronici Aquilejensis. Schisma Aquilejensis Ecclesiae sublatum est anno 1412. quo, die 6. Julii, electus fuit Patriarcha a Capitulo Metropolitano Ludovicus e Ducibus Techiis, qui in Ecclesia nostra Forojuliensi missus fuit in temporalem, ut ajunt, possessionem; nec tamen confirmationem obtinuit a Sede Apostolica, nisi in Concilio Constantiensi, post electionem Martini V. anno 1418. Quo anno Provincia Forojuliensis hostilibus, civilibusque armis magis, ac magis agitata fuit, ex una parte Venetis, ex alia Hungaris in auxilium accitis. Tandem, quod iratis Superis Saeculum illud incoepit, ipsis placatis, faventibusque, e tot malis maxima nobis provenit felicitas, qua & hodie fruimur, quaeque nunquam, ut optamus, speramusque, deficiet. Nam anno 1419. prima nostra Civitas Forojulii faustissimo se dedit Venetorum imperio; cujus exemplum anno sequenti sequuta est Urbs Utini, & inde tota Provincia. Rerum harum narrationem fusiori, & erudito calamo tractat Cl. Bernardus de Rubeis, *Monum. Eccl. Aquil.* cap. CIV. CV. & seqq.

(6) Sic in Forojulio initio Saeculi XV. omnia tumultibus erant turbata, ut nihil tutum videretur, praecipue in locis apertis, nec muro munitis, ut tunc erat Urbs Aquileja. Itaque anno 1409. Sacras Sanctorum Reliquias, una cum libris, & aliis pretiosis supellectilibus, Inventario confecto, Civium Forojuliensium fidei Canonici Aquilejenses commendarunt. In hoc Inventario inter caetera tres Evangeliorum libros invenio hoc modo: *Liber Evangeliorum B. Marci, argento deaurato copertus. Unus liber Evangeliorum copertus unâ Tabulâ argento deaurato cum figuris. Liber Evangeliorum habens unam Tabulam ornatam cum Crucifixo, & B. Virgine & Joanne Evangelista*. Secundum Inventarium est anni 1418. in quo legitur: *Liber Evangeliorum scriptus manu B. Marci, textus argento deaurato*. Adde & tertium confectum de anno 1485. in quo nullus liber Evangeliorum traditur custodiendus, sed cum aliis tamen vasis, & sacris supellectilibus sibi commendatis ab Aquilejensi Capitulo: quibus publice receptis,

ceptis, Forojulienses spondent de omnium *rectitudine eisdem assignata, & tradita*, PROUT ALIAS FECERUNT. Primi, & tertii Inventarii authenticum exemplar servat Dominus Agricola Sacerdos & Patritius Utinensis. Secundum est penes Clarissimum Bernardum de Rubeis. In primo itaque Inventario tres Evangeliorum Codices descriptos habemus. Primus, ut ego quidem certissime puto, est Evangelium B. Marci, a Codice nostro, de quo usque modo disputavimus, divulsum, & Venetias postea delatum, *Liber Evangeliorum B. Marci, argento deaurato copertus*. In secundo Inventario idem pariter, & magis aperte describitur, *Liber Evangeliorum scriptus manu B. Marci, textus argento deaurato*. Ille vero, quem nunc illustrandum suscepimus, videtur in primo Inventario anni 1409. secundo loco descriptus: tertio autem loco alius Codex signatur, qui continet Evangelia certis quibusdam solemnioribus diebus cani solita, qui adhuc apud Ecclesiam nostram Forojuliensem exsistit, & quo utitur in solemni Missa in die Epiphaniae; habet enim unam Tabulam argenteam deauratam *ornatam cum Crucifixo, & B. Virgine, & Joanne Evangelista*. Unde notandum venit, quod liber Evangeliorum B. Marci, qui nunc in Veneto Cimeliarchio adservatur, ambabus tabulis argenteis instructus sit, quarum una, ut vidimus, insignia Urbis Aquilejae, alia Turrianae gentis praefert. Duo vero alii Codices Evangeliorum expresse dicuntur habere UNAM TABULAM *argento deaurato cum figuris*; quorum unus est noster, cum figuris Salvatoris, & quatuor Evangelistarum, & alter similiter, habens UNAM TABULAM *ornatam cum Crucifixo* &c. Liber vero Evangeliorum B. Marci absolute dicitur *argento copertus, & textus argento*, nempe ex utraque parte. Nec civile modo, quod tunc in Patria Forojuliensi grassabatur bellum, sola potuit esse causa, cur Libros, Reliquias, aliaque Sacra ornamenta anno 1409. Aquilejenses Canonici Forojuliensibus traderent; sed & ipse adventus in hanc urbem Gregorii XII. Generale Concilium celebraturi; ut Ecclesia his aucta supellectilibus, Sanctum Pontificem, Actionemque sacram debito honore prosequeretur.

Ex quibus perspicuum est, utrumque Codicem, scilicet cum illum, qui unum continet S. Marci Evangelium, tum alterum reliqua tria Evangelia complectentem, ex Aquileja delatos fuisse Forumjulium anno 1418. (7) Sed difficultas aliqua repeti posset ex Inventario anni 1485. tertio loco a nobis producto. Si enim Aquilejenses Canonici fatentur, hoc anno omnia sibi restituta a Forojuliensibus, quae retroactis temporibus eorum fidei depositi nomine commendaverant, PRO UT ALIAS FECERUNT; ergo tres illi Codices anno 1409. & horum unus, nempe *scriptus manu B. Marci*, anno 1418. in custodiam traditi, fuerunt postea Dominis suis restituti.



Hujus argumenti vis nulla alia potest ratione dissolvi, nisi dicto factum opponendo. Cum enim ex una parte Canonici Aquilejenses testentur se a Forojuliensibus omnia recepisse; ex alia constet, Codices non fuisse restitutos, dicere cogimur, aut parum sollicitos in rebus suis repetendis, quin & immemores fuisse Canonicos Aquilejenses, aut, quod mihi magis arridet, ab Aquilejensibus Canonicis, quorum non pauci tunc temporis simul erant Forojuliensi Ecclesiae adscripti, tres illos Evangeliorum Codices sua sponte fuisse dono concessos. Quis enim sibi persuadeat, Aquilejenses anno 1485. sua Forojuliensibus secundo, & tertio commodasse, eorumque fidem etiam sponte commendasse, si eos fraudulentos vel semel experti fuissent? Anno igitur 1409. Codex noster Evangeliorum ex Aquileja Forumjulium migravit; Liber vero Evangelii S. Marci anno 1418. quem biennio post, ut supra narravimus, anno nempe 1420. Senatus Venetus expetiit a Forojuliensibus, & pro munere recepit.

An rebus adeo obscuris quid lucis attulerim, penes te, Vir Clariss. penes alios esto judicium. Reliquum modo est, ut abs te duo enixe, maximeque petam. Unum, ut, cum de iis, quae ab studiorum meorum ratione longe absunt, disputationem susceperim, des veniam, eaque humaniter, & benevole complectaris. Nihil enim aliud a me postulasti, praeter variantes lectiones Codicis Evangeliarii Forojuliensis. Ego vero excurri, & vagatus sum satius, quam proposueram; ut plane intelligeres, quanti apud me Tua valeat auctoritas; atque voluntatem erga te meam, studiumque non modo tibi probarem, verum, & apud alios testatum relinquerem. Quod si re quidem ipsa non mihi satisfacio, velim desiderium hoc meum saltem commendationem aliquam apud te inveniat: sciasque tantum gloriae, & utilitatis ex hoc mihi futurum, quantum alii, si haec nostra emendaveris, atque probaveris, utilitatis capient, & voluptatis. Caeterum cur non benevolentiam, & gratiam tuam vel ex hoc uno mihi despondeam, qui homines agrestes, atque inurbanos, ne dicam barbaros, tecum aversatus, vetera monumenta intra privata septa minime patior concludi; non laudari a te volens, sed ut intelligas qua ratione & ego *ab ipsis absim longissime, non divortio caritatis, sed literarum*; ab illo, inquam, hominum genere, *ad tumulanda monumenta vetera nato, maximo Historicae veritatis detrimento*. Alterum est, quod a te, Vir humanissime, peto, veniam scilicet, si sero nimis meo erga te officio sum functus, desiderioque satisfeci: hanc enim petimus, damusque vicissim, quoties occupatos nos inveniant amicorum postulata. Vix enim Codicis nostri Variantes Lectiones, barbara illa nomina, & caeteras marginales notas, quibus ille abundat, satis improbo labore absolveram, cum studium hoc intermittere multis negotiis occupatus, & jam serio de dando nomine Congregationi Oratorii cogitans, coactus

sum.

ſum. Voti compos factus, Ædeſque S. Patris Philippi Nerii ingreſſus, quis melius novit, quam tu, an opus urgere potuerim, iiſque ſtudiis vacare ea contentione, qua opus erat.

Interim Deus Opt. Max. qui eſt omnium bonorum fons, & origo, diu incolumem te ſervet, tuaque ſtudia, tuoſque labores ad totius Chriſtianae Religionis profectum ſuſceptos protegat, atque novo in dies te ditet Caeleſtis ſapientiae lumine; ut Majorum noſtrorum exemplo valeas Scriptis tuis eos redarguere, qui ſanam doctrinam non ſuſtinent; & Haereticorum pervicaciam retundere, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Qui propterea in Sacrarum Scripturarum interpretatione dum parvulos decipiunt, & ipſi decipiuntur: *neque enim*, ut bene advertit S. Auguſtinus (Tom. 2.) *Tract.* 18. in Joan. *natae ſunt haereſes, & dogmata perverſa illaqueantia animas, niſi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere, & audacter aſſeritur*. Tu vero, qui, ut ait S. Hieronymus adverſus Luciferum, *non in legendo, ſed in intelligendo* Sacras Scripturas omne ſtudium contuliſti, vetuſtiſſimorum Codicum pene incredibili diligentia & labore collatione facta, e puriſſimis fontibus, quibus inconcuſſa manet noſtra Fides, veritatem haurire, non rivulos Haereticorum impuros in exponendis Sacris Voluminibus ſectari didiciſti. Tandem, Clariſs. Vir, meique amantiſſime, perge, ut coepiſti, de Eccleſia, ac re Literaria bene mereri: cumque rectum ſit tibi & elegans in omni re judicium, noſtra haec emenda, & corrige; ne inaniter, & ſine cauſa ea ſuſcepiſſe videamur. Vale.

Dat. Utini, IV. Kal. Decemb. An. DÑI MDCCXLII.

AD EPISTOLAREM DISSERTATIONEM ADNOTATIONES.

Pag. 4. lin. 12. (1) DExtrum latus cooperit &c.) Eruditissimum Virum Antonium Franciscum Gorium, Praepositum Baptisterii Florentini, & in Patrio Lyceo Histor. Professorem meritissimum, spartam hanc abs te V. C. sibi oblatam, de externis antiquorum Codicum Sac. Evangeliorum ornamentis, qua in omni scientia pollet, epistolari Dissertatione, quam Tu Part. II. pag. DLXXIII. eximio Operi *Quadruplicis Evangeliarij* adjunxisti, egregie illustrasse non ignoras; deque internis etiam aliorum Codicum picturis Commentarium se editurum, data fide spopondisse. Tu vero argenteum tegumentum Evangeliarij Forojuliensis, ejusdem magnitudinis, ejusdemque formae, uti a nobis accepisti, aenea tabula caelatum omnibus conspiciendum exhibuisti. Quae interim doctissimus ille Vir de Figura Salvatoris, de symbolicis animalibus erudite scripsit, cum magna voluptate sint legenda; tum si labores, atque studium nostrum in adornando Codice Forojuliensi collatum probavit, id summae ejus humanitati tribuendum esse omnes certo sciant; nunquam vero tanti nostra facienda, ut apud eruditos homines laudem aliquam promereri possimus.

Pag. 16. lin. 22. (2) (*Specimina ex Urbe Pragensi ad se missa &c.*) Tibi ergo, Blanchine ornatissime, quo es in rebus tuis singulis diligenti studio praeditus, & erga amicos benevolentia summa affectus, debeo specimen etiam alterum foliorum Evangelij S. Marci in Metropolitana Ecclesia Pragensi asservatorum; quae tabula eleganter aere incisa gratulabundus ad me misisti; debeo & *Notitiam* de præsenti statu ejusdem Codicis. Verum quum fusiori calamo de his sit agendum, consulto ad calcem harum Adnotationum *Addenda* reijcimus. Videant ergo modo iterum docti Viri, & dijudicent, specimina haec invicem conferendo, quam belle conveniant; apices, formam, linearum denique numerum, ceteraque expendant, & quae olim observationibus, argumentis, rationibusque pro modulo nostro perpendimus, an ex solo ingenio fuerint producta, an etiam ex rebus ipsis satis ponderis, & auctoritatis accedat, decernant.

Pag. 20. lin. 32. (3) (*Praeterea haerendum minime arbitror &c.*) Non te latent V. C., quae Eruditissimus Auctor *Historiae Literariae* (Franciscus Antonius Zacharias Soc. Jesu) Venetijs editae an. MDCCL. T. I. vernaculo sermone scripserit, Mirificum

Opus

Opus tuum *Quadruplicis Evangeliarij*, ut instituti ab se ratio, & consilium ferebat, ad examen vocans, laudat ille quidem opus laude dignissimum, nec tamen praetermisit, quae ipsi probanda minime videbantur. Te interim tua decet defendere, ac tueri; ea tamen ingenuo homine, & probo digna sententia, ut mihi per epistolas testaris, quam nobis commendat S. Doctor eximius Hieronymus epistola cxxxiii. ad Ctesiphontem (T.1.edit.Veron. pag. 1035.) ubi de illis loquitur, qui sua scripta carpere, & repellere semper erant parati: *aut enim*, ait ille, *bona erunt*, *& contradicam eorum calumniae: aut reprehensibilia*, *& confitebor errorem: malens emendare*, *quam perseverare in pravitate sententiae*. Hanc igitur nostram epistolarem Dissertationem tibi inscriptam, & a te eo in opere luce donatam idem Auctor *Hist. Lit.* non praeterit: eamque tanquam magno viro dignam (heu! obliteranda verba) commendat. Verum nec singula, quae inibi scripsimus, sibi probari ingenue fatetur. Ubi enim egimus de Codice Evangelij S. Marci, qui in Veneta ejusdem Ducali Basilica, sive, ut vocant *Thesauro*, reconditur, quum nos minime assentiri posse fateremur iis, qui illum tanquam autographum olim vulgarunt, & nunc credunt, & tam folia, sive portionem ejusdem Evangelij inibi existentem, quam eam, quae Pragae olim missam fuisse tradidimus, ab Evangeliario Forojuliensi avulsam scripserimus; Clarif., inquam, ille Vir contra ea, quae ad haec demonstranda rationum momenta, & auctoritates attulimus, nonnulla opponit, & hoc loco haec nobis ingerit. Verbis etenim Caesarij Oratoris, inquit, quibus magnitudinem quaternionum Codicis Veneti, quartae partis unius folij esse tradidit, per nos vim adlatam fuisse, cavillationemque appellat, & uti se explicat Italico sermone, *violenta stiracchiatura*. Verum pace ejus, cujus ceteroquin in critica arte ingenij acumen miramur, denuo fidenter asserimus, atque putamus Caesareum Oratorem, non justam, & ut ita dicam, mathematicam foliorum dimensionem prae oculis habuisse, quando haec Ferdinando Principi de his scribebat; sed nulla habita ratione chartae majoris aliquando, aliquando minoris formae, *quadratam* omnino per ea verba, *quartae partis unius folij*, explicasse. Tamen uno tantum verbo V. C. hic a me compellari patiatur. Licitum ergo ne est in unaquaque facultate, de quacumque demum controversia agatur, post solida argumenta, post non aspernandas rationes, & ratiocinia; licitum ne, inquam, est propositam quaestionem minus claris, minusve solidis etiam conjecturis ornare, aut aliquando etiam interpretari? Quis porro a nobis jure postulet, ut rationes rationibus, argumenta argumentis, auctoritatibus auctoritates semper ex aequo singula respondeant?

Pag.22. lin.3.a fin. (4) (*Longiusculae autem notae &c.*) Fortasse haec benedictio referri etiam potest ad eam, quam Sacerdos Diacono

Evan-

Evangelium solemniter ex ambone annunciaturus impertitur. Non unam tantum fuisse, sed plures harum benedictionum formulae ex antiquis, & recentioribus Liturgiarum rerum Scriptoribus plane constat. Nostrae aliquanto similis videri potest haec, quae in usu erat apud Cluniacenses Monachos. *Deus misereatur vestri, & benedicat:* quam habes apud doctissimum Martene de Antiq. Monach. Rit. l. 2. c. IV. §. 2. pag. 161.

Pag. 32. lin. 27. (5) (*Dominico Episcopo &c.*) Invenitur Dominicus Episcopus Caprulensis apud Ughellium anno 1179; itemque anno 1205. testis cujusdam donationis Walteri Patriarchae Aquilejensis, factae Coenobio S. Nicolai in Littore. Idem etiam Dominicus in quadam sententia memoratur anno 1172. apud Cl. Bernardum de Rubeis, in suo libello *istorico Cronologico diplomatico* pag. 32. Idem Rubeis ibid. pag. 46. quinque Episcoporum nominibus auget Ughellianam seriem, inter quos *Dominicus* Minio Episcopus Equilinus; idque ex duobus documentis anno 1294., & 1419.

Pag. 40. lin. 29. (6) (*Sic in Forojulio &c.*) Doctissimus Societatis Jesu Presbiter supralaudatus, laudator simul, & censor nostrae hujus epistolae, hoc loco primam contra nos de Evangelio S. Marci, quo caret Codex Forojuliensis, disserens, hanc movet difficultatem. In primo, inquit, ut vocant Inventario, confecto de anno 1409. tres Codices, seu libri Evangeliorum licet numerare. Eadem descriptio, pergit ille, legitur in alio Indice anni 1418., hoc tantum discrimine, quod alijs verbis idem liber Evangelij S. Marci hic nobis exhibeatur. Inde Clariss. Censor sic ratiocinatur. Si, inquit, tres isti Evangeliorum libri una, & altera vice Forumjulium fuerunt delati, nempe an. 1409., & an. 1418., nescio qua ratione Pater a Turre scribere potuit: *Anno igitur 1409. Codex noster Evangeliorum* (qui secundo loco in Indicibus habetur) *ex Aquileja Forumjulium migravit; Liber vero Evangelij S. Marci an.* 1418.?

Age vero. Si doctissimus Vir ille serio perpendisset, atque perpendet, quae a nobis fuerunt litteris mandata, admiratio sane omnis, questusve cessabunt. Nusquam profecto demonstraturum putamus, in secundo Inventario an. 1418. idipsum legi, quod legitur in primo, anni scil. 1409. Si id ostendat, & probet, cedo manus. Nos itaque tres dedimus, & diserte distinximus Indices sacrarum supellectilium, librorumve, quorum, quoad Sacrosancta Dei Evangelia attinet, fidelem regestum protulimus. In primo itaque tres libros Evangeliorum distinximus; in secundo unum tantummodo signavimus; in tertio demum nullum omnino descripsimus: non *nudum*, ut typographi errore irrepsit, & videre est in fine ad *Errata Corrige*. Quo facto clare, & satis aperte in haec verba concludimus: *In primo itaque Inventario tres Evangeliorum Codices descriptos habemus*. Quod quidem nullibi invenies, nos neque de

que de secundo, minusve de tertio unquam affirmasse. Quinimo de secundo Inventario verba facientes, Lectorem monuimus, in hoc inveniri descriptus Liber Evangelij S. Marci apertius, quam in primo, cum dicimus; *In secundo Inventario idem pariter, & magis aperte describitur*: Liber Evangeliorum scriptus manu B. Marci, textus argento deaurato. Verba sunt eadem, quae leguntur in primo Indice: quia idem est Liber, qui describitur. Quandoquidem autem, quum Codicem Evangeliorum Forojuliensem, quem tunc prae manibus illustrandum susceperamus, innuere placuit, aperto sermone diximus, hunc inveniri in *primo* Inventario, non vero in secundo, neque in tertio; en verba, quae repetere non piget: *Ille vero* (Codex) *quem nunc illustrandum suscepimus videtur in primo Inventario anni* 1409. *secundo loco descriptus*. Hinc audacter ne dicam, mihi videor recte dicere potuisse, iterumque haec conclusio elici a me posse: quam Auctor Hist. Lit. se minime assequi profitetur: *anno igitur* 1409. *Codex noster Evangeliorum ex Aquileja Forumjulium migravit*: *Liber vero Evangelij S. Marci an.* 1418. Quo anno paulo ante ostenderam, utrumque Codicem in Urbe nostra Forojulij jam extasse.

Pag.41.l.7.a fin. (7) (*Sed difficultas qua &c.*) Pergit doctissimus Vir urgere nos super autographo Evangelij S. Marci, novamque ingerere difficultatem, quam etiam majoris ponderis aestimans, se minime assequi posse, iterum ait, qua ratione Aquilejenses Canonici tanta desidia, oscitantia, vel rerum ignorantia fuerint, ut, si Evangelium S. Marci illud esset, quod in altero Codice, nunc nostro hoc Forojuliensi, deerat: passi fuerint sibi obtrudi, ut illud dicerent, & crederent scriptum manu ipsius S. Evangelistae; quum & ex characteris similis forma, nec non & ex membranae qualitate unum, idemque statuere, & cognoscere facillime valerent. Quid ad haec respondendum? Haec objectio, jam a nobis olim praevisa, nec modo patitur ejus temporis Aquilejenses Canonicos a tanta rerum ignorantia excusare: ne eos bonos Viros cogamur adpellare. Quid igitur? Nisi, quod semel diximus, iterum necesse est affirmare; nempe & ipsos populari opinione fuisse deceptos, & vulgum sequuti, esse loquutos; atque adeo denuo statuere, hanc ipsam opinionem credente, ac volente populo, ab eo jam tempore, quo folia Evangelij S. Marci a tribus alijs Evangelijs, quae integrum Evangeliorum volumen conficiebant, coepisse, atque invaluisse. Quid ni quaeso? Si hodieque texi deberet Index pretiosissimarum supellectilium vere Regij *Thesauri* S. Marci; putandum ne est alia ratione, vel ab iis, qui secus sentirent de autographo Codice ejusdem Evangelistae, ipsum fore designandum, quam hac, vel simili nota: *Liber Evangelij*, *scriptus manu B. Marci*? quia nimirum, in iis non nostrum sensum, sed aliorum, & quae vulgo feruntur sequi omnino solemus.

mus. Propterea que huic objectioni satisfaciendum non dissimili argumento putamus, quo satisfactum iri posse jam credidimus, dicto scilicet factum opponendo.

Haec porro singula de hisce antiquis Evangeliorum voluminibus dum tradimus, *si forte aliquibus videmur majorem habuisse veritatis, quam vulgaris opinionis rationem, sciant illi, hanc semper sacras litteras suis cultoribus praebuisse libertatem*. Blanchine Optime, & Clarissime, scias, & intelligas velim, hanc meam defensionem tuo sermone, & sententia concludere honorificum mihi esse debere; qui dum epistolam hanc meam Operi tuo, ex intimo sanctarum paginarum penu tanta eruditionis, & doctrinae laude deprompto, adjungere non es veritus, certa a te nostra probari non dubitamus. Quid porro Amicus noster Gorius? Quid alii doctissimi Viri etiam datis ad me epistolis, de hoc nostro qualicumque labore humanissime senserint, non est nostrum referre. Adde quod non multo post, quo haec tibi ego scripseram, V. C. Hieronymus Tartarotti Dissertationem edidit, de origine Ecclesiae Tridentinae, qui num. XIV. pag. 22. posteaquam egit de missione S. Marci Aquilejam, per Sanctum Apostolorum Principem factam; & de consecratione S. Hermagorae in ejusdem Civitatis Episcopum; nec actis ejusdem Ecclesiae, nec traditioni parcens, tamquam ejusdem figmenti recenset etiam ea, quae traduntur de Codice, ut fertur, autographo Evangelii S. Marci: qui nunc partim Venetiis, partim Pragae, ut saepe diximus, asservatur, latinis quidem literis exaratus.

Longe quidem aliter fateor sentire Jacobum de Utino, Canonicum Aquilejensem in sua, quam inscripsit epistola Francisco Barbaro an. 1448. qui tunc patriae hujus Forojuliensis Provinciam administrabat. Sanctum Marcum, ait, Aquilejea versantem manu sua Evangelejum graece scriptum ibi reliquisse (en piae traditionis, vulgique errores); quod *longo admodum aevo in sacris penetralibus Aquilejae resedit; postea vero hac nostra tempestate, vel aetate ab Illustrissimo Venetorum Senatu Venetias delatum — Hoc Evangelium, qui illud videre, graecis litteris scriptum narrant*. Ignotorum hominum testimonio utitur, popularique opinione traducitur Canonicus Aquilejensis; vir inter aetatis suae doctos homines coeteroquin accensendus; mysterium latet. Hujus epistolae Auctorem debemus Philippo e Turre Episcopo Adriensi in *Addendis de Colonia Forojulien.* qui illum deprehendit ex MSto Codice Reginae Sveciae N. 1878. nunc Bibliothecae Vaticanae. Eam epistolam edidit V. C. Jo. Joseph Liruti T. II. *Miscellaneae editae*, Venetiis apud Jo. Mariam Lazzaroni an. 1740.

Interim dum haec agimus, silentio praetereundum haud existimamus, quae de nostra hac Epistolari Dissertatione edidit Auctor libri *Biblioteque Raisonèe*, Amstelodami an. 1750. §. II. pag. 416. ubi data opera auereum tuum Opus, Blanchine, expendere aggreditur. Laudat ille quidem ea,

quae

quae de Codice Forojulienſi litteris mandavimus; deque iis, quae de autographo, ut vulgo perhibetur, Codice S. Marci ſcripſimus, nobiſcum plane ſentit. Verum horum hominum laudes libenter reſpuimus, minuſve quaerimus, qui Catholicae Religioni obtrectandi occaſiones ſemper ſibi praeſto eſſe putant. Patrum igitur ſuorum coeca premens veſtigia ad interitum perducentia, haec habet loco citato -- *Les preuves, que le P. de la Tour apporte pour le demonſtrer* (minime reperiri autographum Evangelii S. Marci) *etant incomparablement plus convinquentes, que celles pars les quelles on nous veut faire accroire que la Sainte Chapelle de Lorette avoit etè une Chambre de la Maiſon, que le S. Vierge habitoit a Nazaret.* Equidem & ſibi, & noſtris rebus melius conſuluiſſet, clarioraque redderet argumenta, & rationes omni exceptione majores Acatholicus ille, qui doctrina & ingenio in ſui perniciem, & ſi fieri poteſt, in aliorum etiam abutitur; ſi tantam veritatis, atque certitudinis lucem iis ineſſe arbitraretur, quantis errorum, & falſitatis impia dogmata Lutheri, Calvini Zuinglii, Melanctonis, Wicleffi, ceterorumque hujus ſectae Sanctae Catholicae Romanae Eccleſiae infenſiſſimorum hominum tenebris offunduntur. *Utinam ergo aliquando ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent.*

Tandem accipe, V. Clariſs. corollarii loco doctiſſimorum Virorum teſtimonia, qui praeterito anno Codicem S. Marci Venetiis accuratiſſime explorarunt; ſtatum, formam agnoverunt, & qua materia conſtet periculum ſumpſere; quae ſingula, unus eorum data epiſtola referens, quam latino ſermone reddimus, ſic ait; *Altitudo, & latitudo foliorum eadem omnino aſſeri debet cum Codice Forojulienſi. Ceterum Codex S. Marci conſumptus, putriduſve non adeo apparet, ut maſſa, ſive intritum farinaceum, vulgo* paſta *dici queat; ſed potius minuſcularum partium acervus, quod ex contactu, digitorumque alterna converſione clarius dignoſcitur. Utque ex qua materia ſit confectus omne dubium tolleretur, ignem, & aquam adhibuimus; quo facto, membranaceum eſſe codicem, qualis nempe oculis, & tactu nobis apparuerat, certo certius deprehendimus. &* I. *Aqua madefactas particulas, humidus humor eas minime pervadit, uti accidit chartae lineae, ſive etiam bombycinae.* II. *Fragmenta, ſive fruſta illa flammae ardentis cerei admota, ignem quoquo modo recipiunt, minime verò retinent; ſed parvi cuculli formam induere videres, ſive in parvulum volumen ſe contrahere: haedinaſque pelles olent. Porro charta, ſeu papyrus ex lino, ignem non modo in ſe recipit, ſed retinet, ita ut ardeat; nunquam vero contrahitur.* Haec inquam ſunt, Blanchine, doctiſſimorum certa teſtimonia, ex quibus ſatis amplum mihi videor laborum mearum fructum collegiſſe.

Ceterum V. C. utcumque ſe res habeat; nihil hoc noſtra epiſtola piorum hominum fidem immi-

nutam volumus. Maneat illorum pietas, cultus, religio; maneat erga Sanctum Evangelistam, quum vel sacras ejus exuvias in Templo vere Regio veneraturi, accedunt; vel antiquitate venerandum Codicem, in quo sanctum ejus Evangelium scriptum fuerat, intuentur, tanti Patroni recordatio maneat. Stare enim Venetam Remp. Divo Marco Evangelista Patrono certo credimus; in cujus cultum atque obsequium Senatum, populosque Venetos omnes effusos laeti semper conspicimus. Non enim Poetas imitati doctas fabulas sectamur, qui Neptunum, falsum utique Numen, Venetam Urbem medio mari stantem, eique ponentem jura, sibi fingunt vidisse. Deus Opt. Max. Unus, Omnipotens, cujus nutu terra famulantur, & aether, de Coelorum throno respicit Catholicam hanc Rempublicam; quam non dii, non homines posuere, sed illius dextera plantavit. Cui praeterea justitiam, pietatem, religionem, Dei legem demum integram, & absque ullo errore susceptam tenenti; imperium terra, marique late prolatum; quod ei barbaris nationibus, atque tyrannis justo bello devictis, subjecit, in aevum duraturum tuebitur, atque defendat.

Dum jam haec Typographo edenda traderentur, sero ad manus meas pervenit eximium, atque intimae, praecipue sacrae eruditionis refertissimum opus Flaminii Cornelii Veneti Senatoris amplissimi, cui titulus -- *Ecclesiae Venetae antiquis monumentis* &c. *illustratae* &c. *Decadis Decimae Tertiae Pars Prior*; quod legenti, gratulandum mihi fore videtur, ubi in eum locum devenio pag. nempe 176. & seqq. in quo *de Basilica Ducali S. Marci* agitur. Siquidem Vir Clariss. lectorem docet Codicem inibi asservari *venerandae quidem antiquitatis, in quo propria Sancti Marci Evangelistae manu scriptum fuisse Evangelium creditur*. Qua traditione testimoniis firmata, historiaque relata de ejus ab urbe Aquileja Forumjulium, a Forojulio Venetiis commigratione; variisque de Codicis hujus scriptura sententiis, atque etiam de ejus materia allatis: quam ex pergamena esse non dubitat; experimento praecipue per ignem & aquam nuperrime per doctissimos viros (uti supra nos ipsi retulimus) habito; deque tandem donatione facta a Nicolao Patriarcha Aquilejen. Carolo IV. Imperatori aliquorum foliorum ejusdem Codicis, nonnulla tradita; dubius aliquando haeret Vir ingenuus, an inter sacra ejusdem ditissimi Cimeliarchii lipsana numerandus sit; ac proinde judicandum aliis relinquit. Nec silet Vir ille doctissimus de mea hac epistola, tibi, Clariss. Blanchine, inscripta sed, & pro sua humanitate eam etiam voluit laudare. Verum, quod ad Codicem, sive Evangelium S. Marci attinet, meum haud praeterit assertum, de avulso nempe hoc Evangelio ab integro Codice Forojuliensi. Hincque anceps de rei veritate, sapientissime concludendum duxit; Codicem illum in Æde D. Marci, tamquam *antiquissimum*, atque *nobilissimum antiquitatis monumen-*

mentum, inter pretiosiores Cimeliarchii res honorifice (& quidem jure & merito) *custodiri*.

Vale, iterumque vale Clariss. Vir; & ad multa tempora sospes esto, Romani Oratorii decus, Urbis, & totius litterariae Reip. splendor, atque praesidium; a quo tantum amari me video, atque ornari sentio.



 ADDEN-

ADDENDA

Typographus, quod sui muneris erat, jam expleverat, quum *Notitia*, quam in finem dabimus, una cum specimine characteris Evangelii S. Marci in Cathedrali Ecclesia Pragensi summa religione adservati (estque pars nostri Codicis Evangeliarii Forojuliensis), munere, & gratia V. Clariss. & amicissimi Blanchini, ad manus nostras pervenit, ut jam diximus. Quae singula ejus rogatu Romam mittebantur ad Illustrissimum ac Reverendissimum Praesulem Jo. Carolum de Antonellis Episcopum Dioclensem, Suffraganeum Velliternen. & Ostien; qui, ut est doctrina, ac pietate clarus, eos omnes amat, qui iisdem donis ornantur; interque ceteros Josephum Blanchinum summo studio, atque benevolentia prosequitur.

Ex hac itaque festiva, atque diligenti *Notitia*, sive enarratione, mirum profecto est, quam pulchre singula conveniant, (& quomodo non conveniant?) cum iis, quae a nobis adnotata fuere de Codice Evangeliorum Forojuliensi initio nostrae epistolaris Dissertationis.

Et primo quidem habemus integrum testimonium Caroli IV. accepti ab ipso doni a Nicolao Patriarcha Aquilejensi fratre suo, duorum quaternorum Evangelii S. Marci, qui sua propria manu, ut credebatur, erant scripti. Quod quidem testimonium ipse Rex Carolus ad posterorum memoriam in ipsomet Codice sua manu descripsit. Clarissimus Montfauconius istud publici juris fecit in suo Diario Italico. Nunc vero ex apographo Pragensi in relata *Notitia* integrum habemus, nempe, cum subscriptionibus trium Episcoporum; & si quae varia lectio in Montfauconiano apparet, eam uncis interclusimus. Marquardus Episcopus Augustensis, qui primus subscriptus apparet, non alium credimus, quam Marquardum, qui decennio post, scilicet an. 1365. renunciatus fuit Patriarcha Aquilejensis; de quo vide Annales Henrici Rebdorff. inter Scriptores Rerum Germanicarum Freheri; vide & de Rubeis Monument Eccl. Aquil. cap. XCVII. col. 941. Frater Ægidius Episcopus Vicentinus secundus subscribit. Is est Fr. Ægidius Blasii de Cortona, insignis Theologus Ordinis Eremit. S. Augustini, electus Ep. Vicentinus an. 1348. de quo quidam Anonymus Pisanarum rerum Scriptor refert, ad Pisanos legatum fuisse Caroli IV. Imperatoris an. 1355. qua legatione functus, par est credere, Carolo Romam eunti, indeque Pragam redeunti se comitem addidisse. Non desunt, qui ad Cardinalatus dignitatem precibus ipsius Caroli evectum fuisse Ægidium suspicentur. Videndus Ughellus T. V. Ital. Sac. inter Episcopos Vicentinos. Joannes Episcopus Lucho-

chomischtliensis tertius subscribit Caroli Testimonium. Credimus & hunc esse Joannem, ex Marchionibus Moraviae, Caroli IV. Imp. filium nothum, qui an. 1387. excepit in Patriarchatu Aquileiensi Philippum de Alenconio. Vide laudatum Cl. de Rubeis loc. cit. cap. CII. col. 980. quem antea gestasse insulas Civitatis *Litomisliae* in Bohemia, narrat.

Poro ex hoc Testimonio Carolus IV. obtinuit a Patriarcha Aquilejensi & Capitulo duos quaternos ultimos Evangelii S. Marci; & alii quinque praecedentes, quos dicit remansisse, qua occasione & anno Venetias translati sint, diximus in nostra Dissert. Colligimus ex allata *Notitia*, duo illi quaterniones incipere a cap. XII. v. 21. his verbis -- *& secundus accepit eam & mortuus est*; & currere usque ad finem nullo versiculo intermisso. Quapropter ultimus versus erit -- *Illi autem profecti praedicaverunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Triennio post erogatum donum Regi Carolo, Nicolaus Patriarcha ad posterorum memoriam scripturam confecit, quam etiam in finem dabimus. Ex quo monumento, cum singula hic narrata probentur, tum monemur in eadem verba incipere duo illi quaterniones; desinere autem v. ult. supra allato -- *Illi autem &c.* In quo tamen versu advertendum post *ubique* deesse *Domino*, uti legitur in Vulgata aeque & in antiqua Hieronymiana versione. Hinc, quanti faciendus sit Codex Forojuliensis, quantumque pretii illi accedat, diligenti facta collatione cum Commentariis S. Doctoris Hieronymi, aliisque ejus Tractatibus, antequam Sancta quatuor Evangelia jussu Damasi Papae graecae fidei restitueret, mirifice ostendi posset. Quod, Deo favente, cum otium, & voluntas non deerunt, forsitan haec olim meminisse juvabit. Allatum testimonium, sive scripturam Nicolai Pat. vulgavit Jo. Petrus de Ludewig inter Reliquias Manuscriptorum omnis aevi T. V. lib. 3. Diplomatario Bohemico -- Silesiaco N. LXV. ex cit. de Rubeis loc. cit. cap. II. col. 20. Ad *Notitiam* redeamus.

Nos docet folia Evangelii S. Marci Pragensis esse membranacea; quadratae formae; magnitudine exhibiti speciminis characterum. Literas plenas vocat; nulla scilicet interrupta scribendi forma. Eadem folia ex utraque parte scripta admonemur esse numero sexdecim. Duos nempe quaternos obtinuerat Carolus IV. qui, uti in nostra Dissert. notavimus, singuli fere octo foliis, sive pagellis constantur. Addesis, & numerum XIX. linearum pro qualibet columna; quod pariter olim monitum voluimus, & ex specimine Pragensi clare probatur.

Atramentum, inquit, est nonnihil subflavum, & quasi ruffum. Nos ipsi in Dissert. diximus, atramentum Codicis Forojuliensis ex nigro modo pallescere, ut primo adspectu characteres aureos crederes. Addit, in aliquibus paginis superius in medio in facie una legi *secun-*

 dum,

dum, in altera *Marcum* charactere antiquo. Quod ita se habere & in tribus Evangeliis Codicis Forojuliensis ex integra editione Blanchiniana apertissime colligitur. Ea est minusculi characteris scriptura; antiqua tamen & forsan ejusdem aevi. Dumque tradit, ea verba in *aliquibus* paginis superius in medio legi, non vero in omnibus; bene ostendunt etiam folia Pragensia non integra, sed tonsa superius fuisse, uti & per latera, & inferius esse nos ipsi monuimus; itaut marginales notae in Codice Forojuliensi alicubi omnino discctae, alias dimidiatae appareant.

Signa marginalia, nempe numeri Capitulorum, & nos monuimus in Codice Forojuliensi esse rubri coloris, uti habet *Notitia* Pragensis. Exhibuimus & ipsas Capitulationes numero XLVI. Cum vero hic signetur num. XLIII. ac si esset ultimus Evangelii S. Marci, nulli negotium facessat. Arbitror enim (si quando exscribentis error non irrepsit) XLV. & XLVI. minio illitos, vetustate fuisse consumptos; ut saepius & in Forojuliensi Codice animadvertimus. Quod tandem ultimo loco legitur de lineis duplicatis, ut scriptor commodius inter ipsas, & rectius posset scribere, & literas aequales formare; optime respondent iis, quae nos de earumdem literarum structura animadvertimus in Codice Forojuliensi semper aequali, eaque de causa lineolis duabus clausa, stylo ductis. Quid plura? alii videant, alii invicem conferant, Codices Codici opponant; nos, nec nobis fingere meliora possumus, nec ominari magis vera.

Quae interim hactenus longa nimis, si Diis placet, oratione disputavimus ad ostendendam veritatem unius ejusdemque Codicis Foroulienfis, Veneti, atque Pragensis, si qui nondum fortasse probabunt, nec dictis velint acquiescere; dummodo e numero doctorum atque sapientum, necnon ingenuorum hominum sint, eorum judicio & sententiae nos ipsi acquiescere non detrectamus.

NOTI-

NOTITIA DE EVANGELIO S. MARCI,

Quod in Metropolitana Ecclesia Pragensi asservatur.

QUando, quomodo, unde, & per quem hoc Evangelium praedicta Metropolitana Pragensis acceperit, indicat inscriptio in Codice eodem Evangeliorum manu propria Caroli IV. Germanorum & Bohaemiae Regis antiquo fracto charactere latine exarata, tenore sequentis.

„ Ego Carolus quartus, Dei gratia Romanorum Rex semper au-
„ gustus & Boemiae Rex, vidi librum Evangeliorum S. Marci de
„ sua propria manu scriptum, integrum ab initio usque ad finem,
„ in septem quaternis (in septem quaternos) in potestate Patriarchae
„ & Ecclesiae Aquilegensis (in potestate Patriarchae Ecclesiae Aqui-
„ legiensis) qui liber in dicta Ecclesia fuit servatus a Beato Herma-
„ cora, & ab Ecclesia Aquilegensi praedicta usque in hodiernum
„ diem. Qui videlicet beatus Hermacoras, de manu B. Marci (de
„ manu beati Petri) eumdem librum accepit; sed a beato Petro,
„ per resignationem, & intercessionem Sancti Marci, recepit praesu-
„ latum praedictae Aquilegensis Ecclesiae. De quo libro petitione
„ mea apud Patriarcham & Capitu'um dictae Aquilegensis Ecclesiae
„ obtinui istos duos quaternos ultimos libri praedicti; & alii quin-
„ que praecedentes remanserunt (manserunt) in Ecclesia supradicta.
„ Et haec scripsi manu mea propria, Anno ab incarnato verbo mil-
„ lesimo trecentesimo quinquagesimo quinto (MCCCLV.) in Vigilia
„ omnium Sanctorum, Regnorum meorum anno nono.

Et ego Marquardus Dei gratia Episcopus Augustensis, in Testimonium veritatis praemissorum omnium manu mea propria me subscripsi.

Et ego Frater Ægidius Dei gratia Episcopus Vicentinus, & Comes, in Testimonium veritatis praemissorum omnium manu propria me subscripsi.

Et ego Joannes Dei gratia Luchomischtliensis Episcopus, in Testimo-

ſtimonium veritatis , praemiſſorum omnium manu propria me ſubſcripſi.

Evangelium hoc eſt ſcriptum in membrana, & parte utraque ; ſic dimenſuratum ſicut noſtrum exemplar oſtendit.

Literae ſunt plenae, ſicut exemplar hoc in primis duabus lineis ad oculum indicat; & non ſic quaſi bifidae aut vacuae.

Incipit hoc Evangelium a Capite XII. & verſu vigeſimo primo: *& ſecundus accepit, eam & mortuus eſt &c.* & currit continuo uſque ad finem S. hujus Evangelii, nullo verſiculo intermiſſo.

Sunt folia talis magnitudinis ſicut iſtud eſt (ſpecimen characteris) ex utraque parte ſcripta numero ſedecim.

In toto hoc Evangelio prout hic habetur atramentum eſt nonnihil ſubflavum, & quaſi ruffum: bene tamen legi poteſt.

In aliquibus paginis ſuperius, in medio eſt ſcriptum in facie una *Secundum* -- in altera -- Marcum. An ſit idem character, ignoratur; vetus eſt ut apparet.

Signa marginalia X L ſunt rubri coloris

JJJJ

Demum obſervatur etiam in aliquot paginis poſterioribus praeſertim lineae duplicatae, ut nempe ſcriptor inter ipſas commodius & rectius poſſet ſcribere & literas aequales formare.



TESTI-

TESTIMONIUM NICOLAI PAT. AQUILEJEN.

Donationis factæ Carolo VI. Imp. de duobus quaternionibus Evangelii S. Marci.

NIcolaus Dei gratia Sanctae Sedis Aquilegienſis Patriarcha: Notum facimus tenore praeſentium univerſis, quod cum Seren. & inviĉtiſſimus Princeps & Dominus Dominus Carolus, Romanorum ſemper Auguſtus, & Bohemiae Rex illuſtris, Dominus noſter generoſus, ante ſuſceptam Imperialem dignitatem ſub titulo Romani Regis, terras & dominium Patriarchatus accederet ad urbem Romanam pro adipiſcendis Imperialibus infulis profecturus, ac ad Oppidum noſtrum venit, cum Principibus, Baronum & Procerum copia declinaret, noſque ſibi cum Epiſcoporum, Abbatum, Praelatorum, Cleri, ac populi copioſa multitudine obviam proceſſionaliter veniſſemus: intra alias Reliquias, quae pro honore Dei & ad reverentiam tanti Principis videbantur ibidem, ipſe Evangelium ſcriptum manu B. Marci Evangeliſtae oculis ſuae devotionis aſpexit, & ſibi oblatum oſculis & amplexibus ſub omni honore ſuſcipiens, deſideravit ut aliqua pars ejuſdem Evangelii donaretur eidem, quo felix Regnum ſuum Bohemiae exultaret in Domino, & ejus Regnicolae in devotione ſuſcepta conſolationis Spiritualis grato ſubſidio in ſalutis ſuae compendia laetarentur. Nos igitur, devotione tanti Principis rite penſata, convocato nihilominus raptim Epiſcoporum, Praelatorum, & aliorum noſtrorum Sapientum conſilio ſano, rei ipſius conditione examine diligenti cribrata, & deliberatione providae diſcuſſionis adducta, animo deliberato, & ibidem praeſentium voto communi praefatorum Dominorum noſtrorum, duos quaternos ejuſdem Evangelii ultimos ipſius Majeſtati liberaliter duximus erogandos: quos ipſe cum Dei timore reverenter accipiens, in tabulis certis auro, gemmis, margaritis pretioſis mirabiliter & magnifice ornatis repoſuit, & ſub magno celebritatis honore intra officii ſolemnia hujuſmodi gratas ſibi & deſideranter quaeſitas Reliquias quotidianae devotionis ſolertia veretur. Principium autem quaternorum eſt in haec verba: *& ſicutus incepit eam, & mortuus eſt*. Finis autem talis

eſt: *Il-*

est: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Amen.* In cujus rei testimonium praesentes fieri, & nostri sigilli robore jussimus communiri. Datum in nostro Castro Utini die xv. Mensis Novembris, anno Domini M.CCC.LVII. Indictione x.

FINIS.

ERRATA	CORRIGE
Ad ep. Nuncupat.	
Fac. 4. l. 10. cumiculo	curriculo
Fac. 9. l. 5. pissimis	piissimis
ibid. l. ult. optimi	optime
Pag. 4. l. 33. Feree	Ferè
pag. 7. l. 1. inquit	inquis
pag. 11. l. 17. *nitas Christi*	*vitas christi*
ibid. l. 25. F	E
pag. 43. l. 3. qua opus erat	qua opus erat?
pag. 46. l. 6. Liturgiarum	Liturgicarum
ibid. l. penult. col. 1. seu libri	seu libros
pag. 47. l. 28. col. 1. Hinc audacter ne dicam	Hinc audacter ne dicam?
ibid. l. 25. col. 2. esse loquutos	esse loquuti
pag. 48. l. 23. col. 1. certa	certè
pag. 49. l. 43. col. 2. mearum	meorum
ibid. l. penult. hoc nostra	hac nostra
pag. 50. l. 3. col. 2. devenio	deveni
pag. 54. l. 8. col. 2. alias	aliae

Specimen characterum insignis Codicis Evangeliorum Ecclesiæ Forojuliensis, ex quo decerptum fuit Evangelium S. Marci Venetias allatum, et aliquot ejus folia, quæ nunc Pragæ adservantur.

Ex Matthæi Cap. XV. versu V.

UOSAUTEMDICITISQUI
CUMQUEDIXERIT
PATRIUELMATRI
MUNUS
Q̄DEEXMETIBI
PRODERIT
ETNONHONORIFICA
UITPATREMSUU÷
AUTMATREMSUA÷
INRITUMFECISTIS
MANDATUMDĪ
PROPTERTRADITIO
NEMUESTRAM
HYPOCRITAE
BENEPROPHETAUIT
DEUOBISESAIAS
DICENS
POPULUSHICLABIIS
MEHONORAT

CORAUTEMEORUM
LONGEESTAME
SINECAUSAAUTEM
COLUNTME
DOCENTESDOCTRINAS
MANDATAHOMINU÷
ETCONUOCATISADSE
TURBISDIXITEIS
AUDITEETINTELLEGITE
NONQUODINTRAT
INOS
COINQUINATHOMINE÷
SEDQUODPROCEDIT
EXORE
HOCCOINQUINAT
HOMINEM
TUNCACCEDENTESDIS
CIPULIEIUSDIXE
RUNTEI

Specimen characterum insigni
Carolus IV. Imperator a N
ubi adhuc
En forma characterum unius pagin

TUNCDISCIPU

Ex Marci
Cap. XIV.
versu L.

RELINQUE

OMNESFU

ADOLESCENS

QUIDAMS

TURILLUC

AMICTUSSIN

PERNUDC

Specimen characterum insignis Codicis Forojuliensis Eva
Carolus IV. Imperator à Nicolao Patriarcha Aquileje
ubi adhuc in Cathedrali Ecclesia Pr
En forma characterum unius paginæ Pragensis, Romam missa roga

Ex Marci Cap. XIV. versu L.

TUNCDISCIPULIEIUS

RELINQUENTESEU:

OMNESFUGERUNT

ADOLESCENSAUTEM

QUIDAMSEQUEBA

TURILLUM

AMICTUSSINDONESU

PERNUDO

ETTENUERUNTEUM

ATILLEREIECTASINDONE

NUDUSPROFUGIT

ABEIS

ETADDUXERUNTIHM

ADSUMMUM

SACERDOTEM

ETCONUENIUNTOM

ESSACERDOTES

ETSCRIBAEETSE

NIORES

Cajetanus de Rubeis sculp. Romæ.

angelii S. Marci. Hujus aliquot folia anno Christi 1355.
gensi ex dono accepit, atque in Bohemiam detulit,
Pragensi religiose adservantur.
gatii Blanchini ad Illmum et Rmum Præsulem Antonium Antonelli

PETRUSAUTEMALON
GESECUTUSESTEU-
USQUEINTROINATRI
UMSUMMISACER
DOTIS
ETSEDEBATCUMMI
NISTRISETCALE
FACIEBATSEAD
IGNEM
SUMMIUEROSACER
DOTESETOMNE
CONCILIUM
QUAEREBANTADUER
SUMIHMTESTI
MONIUMUTEUM
PERDERENT
NECINUENIEBANT
MULTIENIMTESTI
MONIUMFALSUM

JO. BERNARDI DEROSSI


A CASTRONOVO CANAPITII

S. TH. D.

DE PRÆCIPUIS CAUSSIS,


ET MOMENTIS NEGLECTÆ A NONNULLIS HEBRAICARUM LITTERARUM DISCIPLINÆ

DISQUISITIO ELENCHTICA.





AUGUSTÆ TAURINORUM, MDCCLXIX.



EX TYPOGRAPHIA REGIA.



EPIST. AD LECTOREM.

QUUM proxime elapſis autumnalibus feriis recreandi animi, elabendique otii gratia de excutiendis præcipuis his Neglectæ Hebraicarum litterarum Diſciplinæ Cauſſis, & Momentis cogitarem, Lector humaniſs., ſenſi ſtatim, quod & dein expertus ſum, non eam eſſe hanc rem, quæ hac mea ætate, & exercitatione, aut exiguo adeo tempore facile abſolvi poſſet.

ולכן יראתי לקרבה אל המלאכה .
פן לא אראה בה סימן ברכה
אך רוחי הציקתני
ואש עצור בעצמותי ושרפתני

Quapropter veritus ſum accedere ad opus,
Ne forte non viderem in eo ſignum benedictionis;
Tamen ſpiritus meus coarctavit me,
Et ignis occluſus in oſſibus meis accendit me (1).

(1) Verba ſunt R. Eliæ Levitæ in Præf. Rythm. ad Tisbi.

Scilicet quum videam, quo maior eſt harum litterarum uſus, eo magis his eiſdem momentis, & cauſſis eludi, in quibus nulla vis eſt, nulla honeſtas, cohibere me non potui, quin elenchtico horum examine æquam illarum defenſionem adgrederer. Jam vero, ſi quempiam heterodoxum omittis a Wolſio in Bibliot. Hebræa memoratum, cuius tamen labores ad me non pervenerunt, ex noſtris, quod ſciam, nemo diſquiſitionem hanc peculiari opuſculo, & data opera inſtituendam ſuſcepit, aut ſi quiſpiam eſt, brevibus omnino ſe præfationis, aut unius capitis, & §., vel academicæ demum orationis limitibus continuit; ex quibus eſt Guarinus, Gerbertus, Paſinus, aliique. Dein etſi extarent plures, qui in vindicando a ceterorum momentis, & præiudiciis uſu Linguæ Sanctæ, excutiendiſque impedimentis, neglectuſque cauſſis elaboraſſent, abundare nos oportet huius generis opuſculis, quibus noſtri Theologiæ candidati ad tantarum litterarum ſtudia magis magiſque inflammentur. Hic ſcopus meus eſt, hoc inſtitutum, hæc mens, quam habui in hoc meo concinnando opuſculo, Lector humaniſs., ut ma-

iori, ſi fieri poteſt & ſtudio, & copia ſacroſanctæ hæ litteræ, in quibus maximum præſidium ſitum eſt ſive ad Bibliorum interpretationem, ſive ad Hebræorum, & Hæreticorum confutationem, a candidatis Theologiæ excolerentur. Pro huiuſce mei inſtituti ratione, & honeſtate benigne jam excipe primum hunc, neſcio ingenii, an potius ſollertiæ conatum, & æqui eum, bonique conſule. Si humilis is eſt, ſi immaturus, ſi parvi momenti, nec rei dignitati reſpondens, proba tamen optimam Auctoris Reip., & Eccleſiæ bono addicti voluntatem, & animum; quod ſummopere mihi eſt hoc tempore, & præcipue exoptandum. Ita fiet, ut plura, eaque graviora enitar, ſi qui dat velle, det & ad ſui laudem perficere. Vale.

CONSPECTUS
TOTIUS OPUSCULI,
Seu Caussarum, & Momentorum, quae singulis Capitibus discutiuntur.

CAP. I.

Nullam esse aut posse, aut oportere apud Christianos eius linguae dignitatem, quae ab humili, exosaque Hebraeorum gente, & natione denominatur, uni ipsius ori, & studiis addicitur, seu peculiaris est, & propria eiusdem nationis, quaeque eius sunt, unice pandit.

CAP. II.

Frustra Hebraicarum litterarum usum, & praesidium quaeri in Hebraicis codicibus intelligendis, qui corrupti sunt, indigni prorsus, qui ut authentici a Christianis Theologis consulantur.

CAP. III.

Non posse Hebraicorum Codicum, & harum litterarum usum in illorum integritatis hypothesi stabiliri ob tot versiones accuratissimas a viris hebraice doctissimis ex ipsis eisdem Heb. fontibus elaboratas.

CAP. IV.

Potissimum ob Vulgatam Translationem, quam dum Tridentini Patres authenticam, & retinendam definiere, non solum ceteris versionibus, sed & ipsis Heb. Codicibus usum, auctoritatem, & fidem ademerunt, tum vero & immunem ab omni mendo declararunt, ut nullus in ea fontium usus propterea esse queat.

CAP. V.

Decere Christianum Theologum Novi Test., quod non Hebraice, sed Græce conscriptum est, magis esse sollicitum, quam Veteris.

CAP. VI.

Hebræos, & Hæreticos eadem facilitate, & vi ex versionibus, & Vulgata, quam ex Hebræis fontibus revinci.

CAP. VII.

Sed & perperam Hebraicarum litterarum usum ex disputationibus cum Hebræo, aut Hæretico confirmari, quæ nonnisi rarissimo contingunt; aut si contingunt, obstinatissimi tamen ii sunt, nec convertuntur; aut demum si quispiam convertitur, vel malus is Christianus est, vel turpiter redit ad pristinam superstitionem.

CAP. VIII.

Vix ſola Biblia reperiri lingua ſancta exarata; carere autem Hebræos libris in vario ſcientiarum genere impreſſis; aut, ſi quos habent, putidiſſimis tantum commentis ſcatere.

CAP. IX.

Non adeo porro eſſe Hebraicam linguam neceſſariam, ut facile ea carere nequeat Chriſtianus Theologus illæſo eius, ſive interpretandæ ſcripturæ, ſive redarguendorum hoſtium officio. Luculentiſſimo id plerorumque Patrum exemplo corroborari, Auguſtini præſertim, & Thomæ, qui Heb. litteras ignorarunt.

CAP. X.

Hebræos vero harum litt. præſidio apprime inſtructos, peſſimos tamen Theologos eſſe, & ſcripturarum explanatores.

CAP. XI.

Hebraicam linguam barbaram prorſus eſſe, & incomptam, quod ex ipſo ſacro Heb. Scriptorum ſtylo patet.

CAP. XII.

Demum & difficilem eſſe admodum, ut nonniſi gravi ſive temporis jactura, ſive ceter. ſtudior. incommodo, ætate præſertim paulliſper provecta, addiſci queat.

DE PRÆCIPUIS CAUSSIS, ET MOM. NEGLECTÆ A NONNULLIS HEBRAICARUM LITTERARUM DISCIPLINÆ

PRÆFATIO.



Æpe miratus sum, & summopere dolui plures eorum, qui in divinas res incumbunt, cum latinas, græcasque litteras diligenter excolere videantur, Hebraicas dein prorsus negligere, quæ dignitate, necessitate, & usu adeo facile ceteras antecellunt. Aut enim ea non sunt, quæ Paullus enumerat (1), Theologorum officia, homines παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ *exhortari in doctrina sana*, quod juxta eundem Paullum, & Tridentinos Patres apta fit scripturarum expositione, & τὰς ἀντιλεγόντας ἐλέγχειν *contradicentes* sive Hebræos, sive Hæreticos *arguere*; aut si ea sunt, unde tantus in iis Hebraicæ Philologiæ neglectus, quam Patres, Pontifices, totque alii præclarissimi viri ad perfectam, sive bibli-

A

(1) Epist. ad Tit. Cap. I. 9.

cam interpretationem, ſive hoſtium convictionem tantopere commendarunt? Mirari tamen deſtiti, ut cœpi in eius rei graviſſimas cauſſas inquirere; quippe, quid eſt, quod ad Hebræam linguam ſuſcipiendam movere eos debeat, ac trahere? Illius ne dignitas, & præſtantia? Verum quæ iſthæc eius idiomatis eſſe poterit, quod peculiare omnino juxta illos eſt gentis exoſiſſimæ, a qua & nomen ipſum mutuavit? An ſacroſancti Hebraici textus integritas? Hebræorum præcipue malitia corruptum putant. An vero eius conſulendi neceſſitas in tanta verſionum copia, & varietate? Non hoc neceſſe eſſe aiunt poſt tot doctiſſimorum hominum verſiones, præcipue vero poſt Vulgatam, quam authenticam, & ab omnibus retinendam Tridentina ſynodus declaravit. Addunt & novi nos fœderis decere magis eſſe ſollicitos, quam veteris, quos illud unice præmonſtrabat. Si objicis, quod ad hoſtium redargutionem attinet, oportere Hebræos, & hodiernos Hæreticos ex Hebraico contextu revinci, eadem facilitate, & vi ex verſionibus, ac Vulgata abſolvi id poſſe, quam ex fonte arbitrantur. Præterea raro aſſerunt, & nunquam fortaſſe huiuſmodi ſibi pugnas contingere, & ſi contingant, obſtinatiſſimos eos eſſe, & difficulter converti. Quid multa vero de mirifico harum litterarum uſu in intelligendis Hebræorum ſcriptis occentas? Vix ſola extant Hebraica Biblia, carentque Hebræi libris in vario, & multiplici ſcientiarum

genere impreſſis, aut ſi qui extant, putidiſſimis tantum commentis ſcatent, indigni plane, qui a chriſtiano doctore evolvantur. Negant hanc linguam neceſſariam adeo ad conſtituta munera dici debere, atque Hebræos ob oculos ponunt, & Patres. Illi, utut hebraice doctiſſimi ſint, peſſimi tamen Theologi ſunt; hi vero, etſi plerique Hebraicas litteras non noverint, optime tamen ſcripturas expoſuere, quique erant fidei noſtræ oſores, aptiſſime refutarunt. Demum barbara ipſis eſt hæc lingua, & difficilis admodum, ut grave nimis ſit, ætate præſertim paulliſper provecta, illius inſtitutiones excipere. Atque hæ ſunt, ni fallor, præcipuæ, gravioreſque cauſſæ, quae nonnullorum animos a perſequendis Hebraicis litteris vehementer abducunt. Eas nunc ſingillatim, diſtinctiſque capitibus, ſed breviter, quantum fieri poterit, excutiendas ſuſcipimus, num illud momentum habeant in ſe, quod noſtris hominibus videntur, ſolerter indagaturi. Ut enim ipſe cum latinis Hebraica coniunxi, idem divinarum rerum perſcrutatoribus cenſeo faciendum, ut apti ſint ad utrumque, cuius ſuperius meminimus, Theologorum officium; quamobrem & cauſſas illas non ſat roboris habere puto, quo quiſpiam ab Hebraica lingua arceatur. Quo quidem noſtro inſtituto non adeo exiguum, ut videmur, noſtris Theologiæ candidatis adiumentum adferimus, ut non modo latine, ſive etiam græce, ſed & Hebraice docti aptiſ-

cam interpretationem, ſive hoſtium convictionem tantopere commendarunt? Mirari tamen deſtiti, ut cœpi in eius rei graviſſimas cauſſas inquirere; quippe, quid eſt, quod ad Hebræam linguam ſuſcipiendam movere eos debeat, ac trahere? Illius ne dignitas, & præſtantia? Verum quæ iſthæc eius idiomatis eſſe poterit, quod peculiare omnino juxta illos eſt gentis exoſiſſimæ, a qua & nomen ipſum mutuavit? An ſacroſancti Hebraici textus integritas? Hebræorum præcipue malitia corruptum putant. An vero eius conſulendi neceſſitas in tanta verſionum copia, & varietate? Non hoc neceſſe eſſe aiunt poſt tot doctiſſimorum hominum verſiones, præcipue vero poſt Vulgatam, quam authenticam, & ab omnibus retinendam Tridentina ſynodus declaravit. Addunt & novi nos fœderis decere magis eſſe ſollicitos, quam veteris, quos illud unice præmonſtrabat. Si objicis, quod ad hoſtium redargutionem attinet, oportere Hebræos, & hodiernos Hæreticos ex Hebraico contextu revinci, eadem facilitate, & vi ex verſionibus, ac Vulgata abſolvi id poſſe, quam ex fonte arbitrantur. Præterea raro aſſerunt, & nunquam fortaſſe huiuſmodi ſibi pugnas contingere, & ſi contingant, obſtinatiſſimos eos eſſe, & difficulter converti. Quid multa vero de mirifico harum litterarum uſu in intelligendis Hebræorum ſcriptis occentas? Vix ſola extant Hebraica Biblia, carentque Hebræi libris in vario, & multiplici ſcientiarum

genere impressis, aut si qui extant, putidissimis tantum commentis scatent, indigni plane, qui a christiano doctore evolvantur. Negant hanc linguam necessariam adeo ad constituta munera dici debere, atque Hebræos ob oculos ponunt, & Patres. Illi, utut hebraice doctissimi sint, pessimi tamen Theologi sunt; hi vero, etsi plerique Hebraicas litteras non noverint, optime tamen scripturas exposuere, quique erant fidei nostræ osores, aptissime refutarunt. Demum barbara ipsis est hæc lingua, & difficilis admodum, ut grave nimis sit, ætate præsertim paullisper provecta, illius institutiones excipere. Atque hæ sunt, ni fallor, præcipuæ, gravioresque caussæ, quae nonnullorum animos a persequendis Hebraicis litteris vehementer abducunt. Eas nunc singillatim, distinctisque capitibus, sed breviter, quantum fieri poterit, excutiendas suscipimus, num illud momentum habeant in se, quod nostris hominibus videntur, solerter indagaturi. Ut enim ipse cum latinis Hebraica coniunxi, idem divinarum rerum perscrutatoribus censeo faciendum, ut apti sint ad utrumque, cuius superius meminimus, Theologorum officium; quamobrem & caussas illas non sat roboris habere puto, quo quispiam ab Hebraica lingua arceatur. Quo quidem nostro instituto non adeo exiguum, ut videmur, nostris Theologiæ candidatis adiumentum adferimus, ut non modo latine, sive etiam græce, sed & Hebraice docti aptis-

ſime aliquando, quod eos ſummopere decet, tum hoſtes arguant, tum vero ſcripturas interpretentur.

CAP. I.

Nullam eſſe aut poſſe, aut oportere apud Chriſtianos eius linguæ dignitatem, quæ ab humili, exoſaque Hebræorum gente denominata, quæque eius ſunt, unice pandens, uni quoque ipſius ori, & ſtudiis addicitur, ſeu propria prorſus eiuſdem eſt, ac plane peculiaris.

Quandoquidem Hebræorum natio divina ultione durum illud fatum ſubiit, ut penitus ſpoliata ſuo honore deſpectui omnibus ſit, non dubito, quin & apud nonnullos, qui linguæ dignitatem ex uno eius populo dimetiuntur, multum ſplendoris, dignitatiſque Hebraica lingua amittat. Quam, inquiunt, apud hominem chriſtianum exiſtimationem, & cultum obtinere eæ litteræ poterunt, quæ ab Hebræis nomen ſortitæ uni humilis, abiectæ, neglectæque gentis ori addicuntur, quæque eius ſunt, unice pandunt? Ecquæ tandem noſtrum eſt conventio ad Judæos, aut quæ noſtra eſt pars in Hebraicis libris, ut propterea linguam Hebraicam addiſcere opus ſit, qua illos intelligamus? Scilicet, ut apud quoſdam, quia fœtent Judæi, fœtent & eorum ſcripta, atque *hoc laborant infortunio*, inquit Lightfootus (1), *ne-*

(1) Præfat. *ad Horas Hebraicas*, & *Talm. in Math.* T. II. Oper. p. 247.

ſcio quo ſingulari, ut etiam non lecta diſpliceant, idem de ſanctiſſima hac lingua dicendum eſt, quam noſtri homines ceu Judæorum peculiarem tantummodo intuentur. Verum neſcio, an cuipiam iſthæc eorum ratiocinatio probari poſſit populi ignominiam in idioma ipſum trahentium, ac verentium quodammodo, ne, dum Hebrææ litteraturæ vacant, Hebræi fiant, horumque probris ſubmittantur; quod a craſſo quodam, ac lepido ſane capite aliquando auditum eſſe prodidit Heresbachius (1): *nunc aliam quoque oriri linguam, quæ vocetur Hebræa, hanc qui diſcunt, plane illos effici Judæos.* Quod ſi placet linguæ Hebraicæ dignitatem ex Hebræorum gente dimetiri, non video item, quare potius ex hoc tempore eam repetamus, quo ubique terrarum attrita eſt, & humillimæ conditionis, quam ex eo, quo ceterarum omnium clariſſima extitit. Dein nihil ne divina origo, aut uſus ad linguæ dignitatem faciunt? Nihilne ad nos pertinet ſacroſanctus bibliorum fons, ut cuncta Hebræorum ſcripta ad unos Judæos ſpectare merito dici queat? Quæ ſingula, quamquam ita ſunt aperta, ut res nulla diſputatione egere videatur, tamen ſunt a nobis longius adhuc diducta oratione perſequenda. Itaque non עברית *Hebraica* primum hæc lingua propterea appellatur, quod Heberum, aut Abrahamum, a quibus juxta binas diſſentientes ſententias dicti ſunt עברים *Hebræi*, auctores habeat,

(1) Apud Sennerti *Diſſert. de ling. Heb.* præmiſ. eius *Hebraiſmo.*

ſed quia aut in Heberi familia incorrupta remanſit, aut ab Abrahamo עברי *transfluviali* retenta. Altius enim, quam ab horum Patriarcharum temporibus illius exordium repetendum eſſe monent eruditi fere omnes, conſtituentes merito hanc ipſiſſimam eſſe הלשון האלהים, ut verbis utar R. Jehudæ Levitæ (1), הברואה אשר למדה האלהים לאדם ושם על לשונו ובלבבו *linguam Dei creatam, quam docuit Deus Adamum, & poſuit ſuper linguam eius, & in corde eius.* Confer ſcriptores, qui linguæ Hebraicæ præ Græca, Chaldaica, aut alia qualibet antiquitatem, & primatum inviƈtiſſimis momentis oſtenderunt (2). Quis autem digne non æſtimet linguam, quæ Deo auƈtore, & creatore gloriatur? Ob hoc enim eam ברואה *creatam* vocat R. Jehuda, ut Muſcatus exponit (3), כי איננה מוסכמת מבשר ודם כיותר הלשונות *quoniam non eſt illa inſtituta a carne, & ſanguine, ſeu ab hominibus, ut reliquæ linguæ*; unde & mundo ipſi coæva, & omnium linguarum mater jure prædicatur. Verum an forte eam Deus Adamo tantum infudit,

(1) Cozri *Parte IV.* §. 25.

(2) V. Mayer. *Philol. S. Part. I.*, Pfeiffer. *Exercit. de Lingua Protoplaſtor.*, Holmium *de primæva l. H. antiq.*, Hulſium *de l. H. origine*, Junium *de l. H. Præſtantia, & Antiq.*, Bartolocc. Tom. III. *Bibliot. Rabb.*, Calmet *de ling. primæva*, Foſſium *Diſſ. de l. Eberina prima contra Huetium*, Natal. Alex. *Hiſt. Eccl. Vol. I. Æt. M. II. Diſſ. V. Prop. IV.*, Walton. *Appar. Bibl. Proleg. III.*, Steph. Morinum *Exerc. de l. primæva*, Vorſt. *Diſſ. de lingua omnium prima*, alioſq. apud Wolf. *Bibliot. Heb. Vol. I. p. 622. ſq. & Vol. IV. p. 308. ſeqq.*, Carpzov. *Crit. S. V. T.*, & Simonis *Introd. Gram. Crit. in l. H. Cap. I.* §. 4.

(3) Peruſc, ſeu Comm. in h. l.

ut ipſe interim alio idiomate loqueretur? Quod æternum erit linguæ Hebraicæ decus, hac creat Deus cœlum, & terram. Hac Adamum, & ceteros Patriarchas, Moſem, & reliquos prophetas alloquitur. Hac una ſuam ipſis voluntatem, divinaque aperit myſteria. Hac demum ſacroſanctum quatuor litterarum nomen Moſi manifeſtat, δεκάλογον digito conſignat, & divinam legem exarari jubet, quæ ipſi τῆς לשון הקודש *linguæ ſanctiſſimæ* nomen promeruerunt. נקרא לשון הקודש, inquit apud Ephodæum R. Moſes Nachmanides (1), מפני שדברי התורה ונבואה וכל דברי קדושה כלם בלשון ההוא נאמרו והוא הלשון שהקב״ה יתברך שמו מדבר בו עם נביאיו ועם עדהו אנכי ולא יהיה לך ושאר דברות התורה והנבואה ובו נקרא בשמותיו הקדושים אל אלהים צבאות ושם י״ד ה״א והשם הגדול ומיוחד ובו נברא עולמו וקרא שמות השמים והארץ וכל אשר בם ומלאכיו וכל צבאיו לכלם בשם יקרא מיכאל וגבריאל בלשון ההוא ובו קרא שמות לקדושים אשר בארץ אברהם יצחק ושלמה וזולתם *Vocatur lingua ſancta, quia verba legis, & prophetiæ, & omnia verba ſanctitatis cuncta hæc lingua illa dicta ſunt. Hæcque eſt lingua, qua Dominus ſanctus benedictus locutus eſt cum prophetis ſuis, & Eccleſia ſua*: ego, & non erit tibi, *& reliqua verba legis, & prophetiæ, & in ipſa appellatus eſt nominibus ſanctis El, Elohìm, Tzevaoth, &*

(1) Apud Ephodæum, ſeu R. Peripoth Duràn in *Maaſsèh Ephòd* Cap. XXXIII. MS. ſervatur in hac Regia Taurin. Bibliot. & eſt inter cod. Hebraicos cod. XCVI. A II. 21.

nomine Jod He (Jah), & nomine magno, & peculiari ipsi (Jeoàh), & in ipsa creatus est mundus eius, vocavitque nomina cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, & angelorum, & omnis exercitus sui: omnibus his nomen imposuit, Michael, & Gabriel in hac lingua, & in hac vocavit nomina sanctorum, qui in terra fuerunt, Abraham, Isaac, & Scelomò, & ceterorum. Non est igitur cur dubitemus, num ratione suæ originis, & Dei ore suo Hebraicam linguam sanctificantis hæc לשון אלהית *lingua divina* appellari queat, aut לשון יהוה *lingua Domini*, quo eam nomine insigniri testatur Petrus Vignalius (1) Regius olim harum litterarum in Parisiensi Academia Professor. Nec si ea primum loquentes respicimus, lingua Hebræorum, sed Adami potius (2), ac Sethi, ceterorumque Patrum nomine nuncupanda esset; nam eam, ut superius dictum est, non Hebero primum, aut Abrahamo, sed primo homini infusa fuit, quam omnes usque ad Heberum babelica ætate, aut usque ad Abrahamum ipsum sanctissimi posteri integram, & puram omnino retinuerunt. Porro quia aut in Heberi familia juxta nonnullos servata est, aut illam juxta alios Abraham עברי *Hebræus*, seu *Transfluvialis* ad posteros demandavit, lingua illa, quæ antea

(1) In *Maamar*, seu *Sermone de linguæ sanctæ Antiq.*, & *Præstantia.*

(2) Optime comm. Lightfoot Erubhim, seu Miscellan. Cap. XXX. *Alia commendatione lingua hæc non eget, quam quæ ei propria est, esse scilicet quoad sanctitatem linguam Dei, quoad antiquitatem vero linguam Adami. Deus enim illam invenit primus, Adam primus usurpavit.*

tea communi tantum nomine שפת כל הארץ *labii universæ terræ* indigitabatur, cœpit עברית *Hebraica* nominari (1). Dispicienda ergo ne hæc lingua ob tantum nomen, quod ab Hebero, aut Abrahamo viris sanctissimis obtinuit? Dein etsi ex eorum posteris, qui Hebræi dicti sunt, Hebraica diceretur, an contemnenda erit, quia peculiaris evasit populi electi, soliusque, qui Deum corde vereretur? Tantum hoc abest, ut potius multum illi ex tanto populo dignitatis accedat. Florentissimus enim tunc hic erat, in peculiare Dei patrocinium susceptus, bello, ac pace undique clarus. Hebræorum autem nomen ubique olim gloriosissimum fuit, ex quibus tandem, & quibus primum salus facta est; nam & Christus Hebræus fuit, atque ex hoc genere primi christianæ religionis proceres a Christo ἀποστόλοι *missi* innotuerunt. Ex quo illud quoque intelligitur & nomen hoc summopere Deo acceptum fuisse, qui divinam illis præ ceteris gentibus tradidit legem, expectatæque reparationis cuncta revelavit arcana, seligens jugiter prophetas natione Hebræos usque ad Jesum nostrum verum τὸν χρίστον, per quem ceu æternam sui mentem novissime tandem homines est adloquutus. Nunc quidem divino Numine pœnas infidelitatis repetente universus Hebraicus populus attritus

B

(1) Aug. *de Civ. Dei* Lib. XVI. Cap. XI. *Quia ergo in illius* (Heber) *familia remansit hæc lingua, divisis per alias linguas ceteris gentibus, quæ lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse communis, ideo deinceps Hebræa est nuncupata.*

eſt, ubique extorris, & miſer. At quid inde ignominiæ ſanctiſſimæ linguæ accedit? Attriti ſint Judæi, exoſi, omnibus inviſi, omni dignitate, & ſplendore Dei judicio expulſi; non ob id eſt eorum ignominia ad Hebraicam linguam protrahenda, ſed in mirum potius eius uſum intendentes animum toto eam adfectu venerari, atque æſtimare debemus, quod nobis pandat omnem ſapientiam divina apud Hebræos providentia ſervatam. Quis Græcorum linguam negligendam putet, propterea quod attriti ſint Græci, turpique ſervitute devincti? Immo eam utiliter addiſcimus, ut quæ omnium fere ſcientiarum ſive auctores, ſive excultores ſolertiſſimi Græci ſuis ſcriptis prodiderunt, in uſum noſtrum trahamus. Atqui eadem plane ratione, qua apud Græcos humana, apud Hebræos omnis divina ſapientia ſervata eſt.

Etſi quoque deſiit hæc lingua Hebræis eſſe vernacula; nec enim hodierni Hebræi Hebraica lingua niſi in ſacris utuntur, cuiuſque regionis, in qua degunt, idiomati ſeſe accommodantes. *Loquuntur illi*, inquit Morinus (1), *Gallice, Germanice, Italice &c. pro ratione locorum, in quibus naſcuntur, & habitant; ceteras linguas, Hebræam præſertim omnes ignorant, præter pauciſſimos, qui illam a præceptoribus edocentur, ut latinam, græcamque nos Europæi.* Et longe ante Morinum Theodoretus (2): Τὰ Ἑβραίων παιδία οὐ τῇ Ἑβραίων

(1) Exercitat. Biblic. Lib. I. Exerc. VI. Cap. III. n. 8. V. & Lightfoot loco prox. commem.
(2) Quæſt. in Gen. Int. 61. Tom. I. p. 48.

ἐςὶν εὑρεῖν ... κεχρημένα φωνῇ, ἀλλὰ τῇ ἐκείνων παρ' οἷς ἐγενήθησαν *Hebræorum pueros nullos reperire eſt Hebraica dictione loquentes, ſed eorum, apud quos nati ſunt.* Vix attriti ſunt, ac diſperſi Judæi, quod eorum teſtimonio imminuta quoque eſt eorum lingua, nec ſolum radicum copia, ſed & uſu apud ſuos defecit: מצא אותה מה שמצא נושאיה נתדלדלה בדלותם וצרה במיעוטכם *accidit illi, quod accidit ſuſceptoribus, ſeu ſubiectis eius, attenuata eſt in attenuatione ipſorum, & anguſta facta eſt in imminutione eorum* (1). Ita ipſi iidem fatentur ſe hodierna die huius linguæ adfectiones, verborum vim, vocalium ſonum, ipſumque adeo lectionis modum ignorare, quorum catalogum, ut & ceterorum omnium de Hebræorum ignorantia agentium nobis exhibet Chriſtophorus Wolfius (2). Unum ipſe ibi afferam clariſſimum Hebræorum grammaticum R. Peripoth Duran a Mahaſsèh Ephòd Ephodæum vulgo appellatum, quem Wolfius non attulit, etſi aliis enucleatius ſuorum inſcitiam ex Maimonide præſertim perſequi videatur. Ipſe itaque Cap. VII. ſui Mahaſsèh (3) ita fuſa oratione ratiocinatur: וכתב הרב במורה על השם המפורש וא״אפשר שיורה כפי הלשון אשר אין אתנו ממנה היום אלא דבר מועט וכו׳ וכתב עוד פ׳ ס״ז חלק ראשון שאנחנו היום בלתי יודעים לשונינו . . . וזה כי אחר שגלו אנשים ונפוצו

(1) R. Jehuda Lev. *Cozri* Par. II. §. 68. Eadem pene verba ab eo mutuata vide ſub init. Cap. VII. *Maaſsèh Ephod.*

(2) Bibliot. Hebr. Vol. II. p. 1094. & 1099.

(3) V. MS. Taur. cod. XCVI. fol. 29. col. 1.

אנה ואנה בין גויי הארצות הסתפקו בלשונות הגויים ההם והניחו לשונם הנבחר וישכחוהו וכמו שאמר ויתערבו בגויים וילמדו מעשיהם והנה בשבעים שנה של גלות בבל שכחו קרוב לחצי העם לשונם . . . ואינם מכירים לדבר יהודית ואם בזמן ההוא הקצר קרה להם זה ומה גם עתה בגלות הארוך הזה אשר אבדו ספרינו וחבורינו רשע האמות הסכלות ואבדו החכמות הרבות *Et ſcripſit Doctor in More* (1) *de Scem Hemphoraſc: fieri poteſt, ut doceat juxta linguam, ex qua non eſt nobiſcum hodie, niſi parum; & adhuc ſcripſit Cap. LXVII. Partis I., quod nos hodie non ſumus periti linguæ noſtræ . . . . Et hoc, quia poſtquam viri exularunt, & diſperſi ſunt huc, & illuc inter gentes regionum, occupati tantum fuerunt in linguis illarum gentium, & reliquerunt linguam ſuam electam, & obliti ſunt eius; atque ut dictum eſt*: immiſcuerunt ſe gentibus, & didicerunt opera eorum; *& ecce ſeptuaginta annis captivitatis Babylonicæ oblita eſt fere dimidia pars populi linguam ſuam, nec ſciebant loqui judaice; ſique eo tempore tam brevi contigit illis hoc, quid dicendum contigiſſe nunc in captivitate hac longa, in qua perierunt libri noſtri, & ſcripta noſtra impietate nationum ſtultarum, & perierunt ſapientiæ multæ.* Et ſane præter Buxtorſium (2) teſtis eſt graviſſimus R. Leo Mutinenſis in italica ſua præfatione ad גלות יהודה Ghelud Jehudàh (3) Judæos nunc, qui Robitim, ſeu Magiſtri ſunt, דקדוק, vel

(1) Part. I. Cap. LXI.
(2) Synag. Jud. Cap. VII.
(3) Eſt Diction. Heb. Ital. Biblic. V. ej. teſtim. infer. allatum.

grammaticam institutionem in pueris instituendis omnino negligere; commemoratusque jam Ephodæus capite sui Mahasèh Ephòd XXXII. (1), nec in ipso lectionis modo, & vocalium sono, qui antea obtinuerat, eruditos suos concedit: לא תתשוב כי אנחנו היום בקיאים בקריאת הכתוב ובתנועות האותיות על דרך שהיה אצל הקודמים מאנשי הלשון העברי *Ne putes nos hodie peritos esse lectionis scripturæ, & punctorum litterarum juxta eum modum, qui erat apud priores ex viris linguæ Hebraicæ.* Florere contra magis videtur apud christianos Hebraicarum litterarum studium, totque postremis hisce seculis grammatici, & lexicographi, tot Hebraicæ philologiæ undique doctissimi viri apud nos reperti sunt, ut facilius certe accidat e nostris Hebræos, quam ex Hebræis nostros linguæ sanctæ cognitionem exquirere. Quid vel unos Buxtorfios memorem? Quis est Hebræorum, qui aut elapso, aut ineunte etiam hoc seculo floruerint, qui se eis in dignoscenda, illustrandaque Hebraicorum verborum natura æquiparari queat? Scaligerum audi virum eruditissimum cum doctiore Rabbino Buxtorfium Patrem comparantem: *quum sit*, inquit (2), איש יהודי מאבותיו, *tamen ita aliquando* ἰδιωτικῶς *loquitur, ut non judæus, sed tiro quidam de christianis esse videatur . . . Profecto oportebat eum non ad Rabbinorum suorum, sed tuos pedes didicisse. Sane ille multa a te, tu nihil ab eo*

(1) Taurin. MS. fol. 110. col. 2.

(2) Epist. CCXLIV. p. 481., quæ est ad ips. Buxtorf. Loquitur autem de David de Pomis, & eius lexico. V. & epist. 243.

discere potuisses. Igitur si usum, exercitationem, & peritiam huius linguæ respicimus, aut eius dignitatem ex gente sive ea loquente, sive quomodocumque perita deducimus, non est, cur ex eo, qui hodie apud Judæos extat, Hebraicarum litterarum usu, & peritia decus hæ suum amittant, aut linguam sanctam Hebræorum potius, quam Christianorum nomine appellemus.

Non eo tamen hæc attuli, quo demonstrarem non esse etiam inter Hebræos viros hanc linguam aptissime edoctos, aut eius cognitionem penitus inter eos postremis hisce temporibus defecisse. Nam merito ab auctore פתח דברי Pedach Devarai Grammaticos suos commendari puto, quod Hebraicam linguam posterioribus seculis corroborarint (1): כי במעט נשתכח הלשון *quia paullulum jam absuerat, quin lingua oblitaretur.* Præsertim vero dignus R. Jehuda Chiug multis visus est, quem præ ceteris ob restitutam Hebraicarum litterarum puritatem R. Abraham ben Dior levita in Sepher Hakkabbalàh, seu libro traditionis prædicaret (2). ר׳ יהודה בר דוד פאסי הנקרא חיוג שהעמיד לשון הקודש על בוריו אחר שנשכח בכל הגולה *R. Jebuda filius David Pasi dictus Chiug, qui constituit linguam sanctam in puritate sua; postquam oblivioni data fuerat in universa captivitate.* Nunquam tamen præstare potuerunt viri solertissimi, ut ad fami-

(1) V. integ. ej. Test. apud Morin. Exercit. Bibl. lib. 1. Exer. VI. Cap. IV. num. 8.

(2) Sub finem, ubi de R. Jehuda Grammatico.

liarem illa ſuorum uſum reduceretur, eamque peritiam, quæ olim obtinuerat. Et ſi illud conſequi viſi ſunt, quod inficiari nos nulla ratione poſſumus, ut allatis præſidiis viri inter ſuos Hebraice doctiſſimi florerent, quot rurſus hi ſunt, quinam eorum uſus, aut quæ demum recens inducta Hebraizandi via? Si in ipſorum copiam inquiris, vereor vehementer, ut ipſis illud Aben Eſræ accommodari queat: אחד ממשפחה ושנים מקריה *unus ex familia, & duo ex civitate*. Et ſapientiores ii ſunt; nec alius huius linguæ uſus, ſi nonnullas voces excipias, quas patrio cuilibet ſermoni immiſcent, a parentibus in filios emanatas, eſt apud eos a noſtro, atque ab eo, quem eruditi faciunt; quamobrem & a nonnullis hæc lingua vocatur לשון הלימודים *lingua eruditorum* (1). Recentiores porro Hebræi communem & ipſi ſequuntur eruendæ dictionum naturæ, & ſignificationis rationem, ut patet ex commemorata jam præfatione R. Leonis Mutinenſis ad ſuum Ghelud Jehudàh: non minus hærent aliquando & ipſi, dubii, incertique, & ſæpe in explicatione vocum diſſentiunt; quæ ſingula fuſe in biblicis ſuis Exercitationibus demonſtravit Morinus. Quot innumera loca aſteriſco notavit in Hiſpanica Bibliorum translatione R. Abrahamus Uſque, quo dubia, incerta, & varia pro ſentientium varietate vocum Hebraicarum ſignificatio indigitaretur? Nec

(1) V. cit. Petri Vignalii ſermon. *de ling. H. præſtantia*, ubi & de variis Heb. ling. nominibus agit, & Guarin. *Præſ. ad Gram. Heb. Ch.*

enim aliud hoc aſteriſco innuere is voluit, ceu in præfatione monet: *y es de notar que en los legares donde ſe viere eſta eſtrella * es ſeñal que ay duda en la declaracion del vocabulo y alguna vez diverſos pareceres.* Jam vero chriſtiani optimam quamcunque *Hebraizandi* viam, ſive communem a Schultenſio adverſus Guſſetium ſtatutam (1), ſive novam ipſius Guſſetii (2) ſequuti Hebraicarum radicum, & dictionum naturam, & vim ex veteribus Græcis præcipue verſionibus, ex Chaldaicis Thargumim, ex affinibus, & cognatis linguis orientis, ex collatione locorum ſimilium ſummopere illuſtrarunt. Quæ autem Rabbini, doctioreſque Hebræorum ad verborum explanationem ex ſuorum veluti traditione afferunt, cuncta, quantum fieri potuit, ex antiquiorum præcipue ſcriptis in uſum noſtrum vindicavimus. Quum ergo communia nobis ex æquo cum Hebræis ſint hæc ſubſidia, & fontes, unde omnis huius linguæ ſcientia eruitur, & utrique ex his illuſtrandæ huic linguæ ſtudeamus, quid peculiarem tantum Hebræorum eam dicimus, unique ipſorum ſive ori, ſive ſtudio addictam?

Sane non video ipſe, cur minus nos Hebraicarum litterarum ſolliciti eſſe debeamus, aut ad Hebræos eas magis, quam ad chriſtianos ſpectare exiſtimemus. Solvit ne Chriſtus divinum fœdus, ut nihil

(1) In *vetere, & Regia via Hebraizandi* 4. Lugd. B. 1738.
(2) Præf. ad *Commentarios lin. Heb.*

hil propterea ad nos pertinere dicatur? Nihil ne ad nos pertinent prophetiæ, nil Patriarcharum, ac Sanctorum gesta, nil sacramenta, ac sacri ritus, quæ omnia ad evangelica tempora referebantur, & singula ad nostri pariter instructionem conscripta testatus est Paullus? Nil uno verbo sacrosanctus Hebraicus Bibliorum codex, quo ea cuduntur? *Multum a vero aberrant*, inquit recte Waltonus (1), *qui de Hebræis codicibus ita loquuntur, quos Judaicos vocant, quasi ad Judæos tantum pertinerent, non ad Ecclesiam Christi.* Atque ante Waltonum doctissimus Mariana longe & ipse aliter senserat. *Sit itaque fixum*, ait (2), *non minus ad Ecclesiæ curam Hebraicos, & Græcos codices, quam Latinos pertinere*. Immo quoniam reprobans Deus Judæos nos vocavit hæredes testamenti sui, facti nunc nos veri Israelitæ non carne quidem, sed spiritu, ut olim demonstrabat Apostolus, uni quoque sumus modo divini fœderis, atque originalium verborum custodes. Hebræi autem capsarii quidem sunt, sed capsarii nostri, nec sibi, sed nobis sacrum codicem servant. *Nec aliter jam portant Judæi scripturam*, ait idem Waltonus (3), *quam cæci speculum, in quo alii multa vident, ipsi nihil.* An absque Hebraica lingua primigenios textus, unde omnes versiones emanarunt, evolvere, interpretari, quæque pandunt documenta, nobismetipsis, & aliis reserare

(1) Appar. Biblic. Proleg. VII. n. *6*.
(2) Tractat. *de Vulg. lat.* Cap. IX. apud eund. Walt. ib.
(3) Commem. superius loco.

potuissemus? Eam ne linguam nihil ad nos pertinere asseremus, quæ est reparationis nostræ, augustique cuiuslibet mysterii sacrarium, sanctissimum divini beneplaciti, verbique instrumentum? Quo ergo meliori jure divina oracula, & Hebraicum Bibliorum corpus ad nos spectare, non ad Hebræos credimus, eo maiori contentione, ac studio in Hebraicas litteras nobis incumbendum est, quibus illa hucusque purissime custodiuntur. An Hebraicum nomen execraris? Quamquam gloriosissimum est, tamen alia hæc lingua nomina communi jam judicio obtinuit, quæ singularem tibi eius existimationem concilient. Voca, si placet, לשון האלהים *linguam Dei*; nam & Deum, ut vidimus, auctorem habet, suosque servos ea jugiter adloquentem. Lubet ne appellare לשון הצדיקים *linguam Justorum*, לשון אדם *linguam Adami*, לשון המלאכים *linguam Angelorum*? Singulæ ei appellationes istæ optime congruunt. Si ex peculiari populo eam denominari non vis, commune & ipsa in scriptura nomen habet שפת כל הארץ *labii universæ terræ*, quo a Patriarchis antiquitus appellabatur. Quid plura? Clarissimus est titulus לשון הקודש *linguæ sanctæ*, quo communiter decorari solet; propterea quod non solum Deum auctorem habeat, aut de divinis rebus, mysteriisque agat, sed & peculiaris sit populi sancti. Quo intelligimus eam nunc non Judaicum populum, qui de paterna domo expulsus, ut verbis utar Agobardi Lugdunensis Archie-

piſcopi (1), nobis electum quondam ſuum nomen juxta Iſaiæ vaticinium (2) dimiſit, ſed nos quammaxime decere, οἵ ποτε οὐ λαὸς, νῦν δὲ λαὸς Θεοῦ (3), *qui aliquando non populus, modo autem populus Dei* ſumus, γένος ἐκλεκτὸν *Genus electum*, ἔθνος ἅγιον *Gens ſancta*, λαὸς εἰς περιποίησιν *Populus in vendicationem*, vel *acquiſitionis*, ut habet Vulgatus interpres.

CAP. II.

Fruſtra Hebraicar. litterarum uſum, & præſidium quæri in Hebraicis codicibus intelligendis, qui corrupti ſunt, indigni prorſus, qui ut authentici a chriſtianis Theologis conſulantur.

Potiſſimum Hebraicarum litterarum uſum in conſulendo Hebraico Bibliorum fonte, unde verſiones prodiere, merito eruditi omnes collocarunt; quamobrem mirandum adeo non eſt ab illis neceſſario veluti eos arceri, qui Hebraicum textum Judæorum præcipue malitia, & fraude corruptum putant, indignum plane, quem conſulamus. Nec enim video, qui Melchior Canus, aliique, poſtquam primigenium Textum impurum ſtatuerint, multa adhuc de harum litterarum utilitate ad ſcripturarum interpretationem prædicent. Nam etſi multiplex eſt earum

(1) Lib. *De Judaicis ſuperſtitionibus* N. XXII. pag. 91. Oper.
(2) Iſai. Cap. LXV.
(3) I. Epiſt. Petri Cap. II. v. 10. & 9.

ufus, atque undique patens, omnis tamen, qui in Theologia præcipue fit, ab integritate fontis quodammodo pendet, atque ita ea continetur, ut ea ablata totus fere corruere videatur. Verum errant, qui fic fentiunt, eoque minori jure patiuntur fe a lingua fancta abduci, quo clarius hac eorum fententia non divina folum providentia, fed & Ecclefiæ follertia impetitur, nutat omnis Vulgatæ auctoritas, totumque evertitur fidei noftræ adverfus incredulos fundamentum. Hebraicus ne textus corruptus? Quæ eft ergo Vulgatæ noftræ translationis authentia, dum eam αὐθεντικὴν, feu corruptis fuis fontibus conformem declararunt Tridentinæ Synodi Patres? Quæ fides, & auctoritas, fi ad corruptos fontes collata ea eft (1), & correcta? Nam, *cum variare reperta effent Vulgatæ verfionis exemplaria*, inquit Lucas Brugenfis (2), *adhibita funt Hebræa, & Græca, ... ut dignofci poffet, quæ exemplaria lectionem fervarint germanam.* Si in rebus parvi momenti vitium contigit in Hebræo textu, quem corruptum propterea appellas, quid de Vulgata ipfa, & ceteris omnibus verfionibus dicemus, quas eiufmodi erratis fæpe fcatere eruditiffimi quilibet noftrorum interpretum obfervarunt? Atque recte olim Simonius arguebat (3), fi propter eiufmodi vitia abiiciendus primigenius textus foret, abiiciendas quoque interpretationes omnes, nullumque

(1) Præf. ad Lector. Vulgatæ præmiffam.
(2) Epift. Dedicat. in fuas *Notationes* ad Vulg.
(3) Præf. ad *Hiftor. Crit. V. T.*

tandem scripturæ exemplar superfuturum. Sed & quare potius Hebraicum textum accuses, quum a versione differt, non video. An interpretes adsistentem habuere divinum spiritum, divinaque inspiratione factæ sunt versiones, ut nullibi errare ipsi potuerint? At *quid juvat*, ait Mariana (1), *post tot secula novo commento novos prophetas comminisci?* Aliud est teste Hieronymo (2) vatem esse, aliud interpretem; nec ulla septuaginta viri, quidquid senserint nonnulli Patres, divina inspiratione acti sunt, nec Hieronymus ipse, ut luculenter inferius animadvertemus. Utrum ergo facilius erit? Corruptum Hebraicum textum, quum a versione discrepat, an hallucinatum interpretem, dum aliter vertit? Hæc ad tuendam olim Hebraici codicis integritatem monebat R. Joseph Albo (3): ואם נמצאת התורה באומות אחרות על זולת הנסח אשר בידינו או באיזה שנוי בקצת דברים הנה השנוי ההוא נפל מצד המעתיקים לאומות ההן שלא היו בקיאין בה *& si repetitur lex, quæ est apud ceteras gentes, diversa ab exemplari, quod est in manibus nostris, aut in ulla mutatione in aliquibus verbis, ecce mutatio ista cecidit ex parte translatorum, sive interpretum illarum nationum, qui non sat fuerunt in ea exercitati.* Multa autem suadent facilius versiones ipsas vitiari, & mendum in translationes, quam in primigenium textum irrepere potuisse. Ut

(4) Tract. *De Vulg. Lat.*
(5) Præf. *in Pentateuch.*
(3) Lib. *Hikkarim* Parte III. Cap. XXII. apud Hotting. *Thes. Philol.*

enim optime obſervat Witaſſe (1), maior Hebraicorum bibliorum, quæ ceteris futura erant fundamento, Deo cura videtur eſſe debuiſſe; maior quoque fuit fidelium erga ipſos ſcripturæ fontes a Sp. S. profectos reverentia; ſciolorum vero audaciam, unde multa errata repeti queunt, veroſimilius eſt in verſiones potius, quam in Hebraicum ipſum textum graſſatam eſſe. Demum interpretes etiam religioſiſſimi ſive ad explicandum, ſive ad connectendum primigeniorum verborum contextum ſolent exoticum quidpiam ſacro textui inſerere, virgulis, vel apicibus, ſive etiam vario caractere inſerta a textu diſtinguentes. Utrum tu facilius dixeris? Mutilari Hebraicum textum, an vero typographorum incuria huiuſmodi apices, & virgulas omitti, atque interpretum tandem verba pro vero textu recipi? Adeo facile hoc contingere poteſt, ut doctiſſimus Hieronymus ab Oleaſtro, etſi interpretes, eorumque translationes damnare non auderet, hoc tamen ſummopere in eis exoptarit, *ne, quod de ſuo ſupplent, textui ſacro inſererent, quantumcumque illud virgulis, aut apicibus a textu diſtinguerent* (2). Equidem hæc ſingula tantam vim in Auguſtino habuerunt, ut, quamquam ipſe eſſet LXX. verſionis tenaciſſimus, cum tamen in Jonam expendit (3), legendum ne foret *tres dies* juxta Hebræum, an juxta LXX. Interpr. 40. *dies*, Hebrai-

(1) Tract. Theol. Q. I. Ar. V. Reſponſ. ad *Quar.* 20.
(2) Præf. ad lect. præmiſſ. Comm. *in Pentat.*
(3) Lib. II. de Doct. Chr.

cum potius textum incorruptum, & ſequendum putavit. Hieronymus item in Hebraicis ſuis quæſtionibus ſuper Geneſim contendit illud (1) *exeamus in agrum*, quod LXX., Vulgata, & ipſe Samaritanus textus habent, non ullam inferre in Hebraicum textum lacunam, & mutilationem, ſed quoddam eſſe potius interpretum additamentum, quod ipſe omnino improbat; etiamſi ibi in primigenio textu quædam piſcha extet, qua additio illa ad ſenſus perfectionem exquiri videatur. Quamobrem Hieronymi ipſius ſententia non ſtatim temere eſt Hebraici codicis lectio ob quarumlibet verſionum, ipſiuſque adeo Samaritani textus diſſidium corruptionis accuſanda; ſed mendum, & tota diſcriminis cauſſa in verſiones, & ipſum Samaritanum textum reiicienda. Ex quo illud facile intelligitur, falſum admodum eſſe Morinum, qui ex diſcrepantia Hebraici codicis cum Samaritano illius integritatem inficiabatur. Porro eo magis hoc nobis a Morino concedendum eſt, quo apertius jam omnibus conſtat, maiorem Hebræis fidem, quam Samaritis eſſe adhibendam. Ut enim illi ſunt minimæ cuiuslibet dictionis tenaciſſimi, ita hi quædam textus verba certo immutare non dubitarunt, & Garizim pro Ebal obtrudere, quo ſacri eorum montis dignitas, & divina conſtitutio oſtenderetur. Immo ubi ſenſus non adeo perſpicuus fuit, integros etiam eos verſus

(1) Gen. IV. 8.

appoſuiſſe recte obſervat Richardus Simonius (1), qui exemplum affert ex Exodo (2) luculentiſſimum. Nam quum in textu Hebræo-Judaico extet habitationem filiorum Iſrael fuiſſe in Ægypto annorum 430., Samaritani, quibus viſum eſt, ſi de ſolis illud filiis, non item parentibus ſumimus, non ſat recte dictum id fuiſſe, hoc, ut nunc legimus, additamentum in eum locum inſtituerunt, quo clarior, atque abſolutior textus redderetur:
ࠅࠌࠅࠔࠁ ࠁࠍࠉ ࠉࠔࠓࠀࠋ ࠅࠀࠁࠅࠕࠌ ࠀࠔࠓ ࠉࠔࠁࠅ
ࠁࠀࠓࠑ ࠊࠍࠏࠍ ࠅࠁࠀࠓࠑ ࠌࠑࠓࠉࠌ ࠔࠋࠔࠉࠌ
ࠔࠍࠄ ࠅࠀࠓࠁࠏ ࠌࠀࠅࠕ ࠔࠍࠄ *& habitatio filiorum Iſrael, & patrum eorum, qui (vel qua) habitaverunt in terra* Canaan, *& in terra Ægypti, fuit annorum* 430. Jam vero hoc demonſtrat Samaritanos multum ſibi in addendo, ſupplendoque primigenio textu indulſiſſe, non vero evincit mendoſum, ac mutilum hunc eſſe, atque ex illo propterea emendandum, quod Morinus contendit. Sed etſi in nonnullis parvi momenti, ut ea ſane ſunt, in quibus bini hi codices diſſentiunt, lectio codicis Samaritani præferenda veroſimiliori ratione videretur, ut Richardo Simonio Gen. II. viſum eſt (3), ubi in Hebræo textu legitur perfeciſſe Deum opus ſuum ביום השביעי *die ſeptimo,* in

(1) V. Hiſt. Crit. *V. T.* Lib. I. Cap. XII.
(2) Cap. XII. 40.
(3) Hiſt. Crit. V. T. Lib. I. Cap. IX.

in Samaritano vero: ࠁࠉࠅࠌ ࠄࠔࠔࠉ *die sexto*; *unde melior*, inquit ille, *ſenſus exurgere videtur*, præcipue cum Samaritanam lectionem LXX., & Syrus etiam interpretes confirment, non illud tamen ſequeretur corruptum dici oportere ob id Hebraicum textum, aut ipſi Samaritanum univerſim anteponendum eſſe, quod olim Morino placuit. Nam ſi corruptus non eſt ob variantes lectiones, quas habet Hebraicus textus, nec ipſi propterea anteponi Samaritanus debet, quod variantes lectiones ille habeat, quibus hic caret, quod adverſus eundem Morinum Simonius tuebatur (1), non video, quare in his locis, quæ ad variantes lectiones unius, eiuſdemque textus (quoniam & textus Samaritanus textus Hebræus eſt) referri facile poſſunt, corruptus Hebraicus codex effingi queat.

Si vero in rebus fidei, & morum corruptum primigenium textum putas, corruptá pariter erit, non dixerim, LXX. interpretum translatio, aut Samaritanus textus, ſed & ipſa Vulgata editio, quæ in his Hebraico textui, ut cuilibet attendenti patere poteſt, reperitur omnino conſentanea. Quocunque ergo modo te explices, non ſat Vulgatæ ipſius honori, auctoritatique videris conſulere, qui Hebraicum codicem vitiatum contendis. Porro qui ſunt, qui corruperunt? Dic & quo tempore, quo loco,

(1) Ead. Hiſt. Crit. lib. 1. Cap. XI.

ſeu quos textus in ſcripturis corruperint? Judæos ne graviſſimi huius ſceleris accuſas, viros paternarum traditionum, receptæque religionis tenaces adeo, ut millenas vel unius apicis corruptioni mortes anteponere teſtes habeamus Joſephum Flavium (1), Philonem (2), immo & experientiam ipſam? Voluerunt ne omnes, an dumtaxat nonnulli? Si primum dicis, vide, num veroſimile ſit omnes iniquos in tantum crimen conſpiraſſe, quin aliquis repertus ſit vir timens Dominum, qui reluctarit, & ceterorum auſui impiiſſimo reſiſteret. Si nonnulli; quomodo potuerunt ii eos codices vitiare, qui aliorum manibus terebantur nefas eiuſmodi abhorrentium? Qui etiam nonnulli infinitos codices undecunque fuſos corrupere? *Abſit*, inquit Auguſtinus (3), *ut prudens quiſpiam vel Judæos cuiuslibet perverſitatis, atque malitiæ tantum potuiſſe credat in codicibus tam multis, & tam longe, lateque diſperſis*. Hebræos ne corrupti ſacri codicis accuſabimus, quos conſtat, ne ille corrumperetur, incredibilem quovis ſæculo ſollertiam adhibuiſſe? Nec enim alio tendebat Maſora immanis Judæorum labor, quo libros non ſolum, aut ſectiones bibliorum, ſed cuiuſvis ſacri libri litteras, apices, initium, finem, & medium, & quævis minutiſſima adnotarunt, quam ut omnis ſacri contextus corruptio præcaveretur (4). Sed quo eos tem-

(1) Lib. I. contra Appion.
(2) Apud Euſeb. Lib. VIII. C. VI. & VIII. V. & Urſin. Antiq. Heb. Schol. Acad.
(3) Lib. XV. de Civit. Cap. XIII.
(4) Cozri P. III. §. 31. & 32. & R. Ioſ. Albo Hikkar. P. III. Cap. XXII.

pore ſacroſanctum fontem corrupiſſe adfirmas? Si ante Chriſtum: miror ego quammaxime tantum crimen in Judæis Chriſtum non redarguiſſe, qui leviora non reticuerat. *Quod ſi aliquis dixerit*, inquiebat olim Hieronymus (1), *Hebræos libros a Judæis eſſe falſatos, audiat Origenem, quid in 8. volum. explanationum Eſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ: quod nunquam Dominus, & Apoſtoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis, & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent.* Et magis adhuc miror Chriſtum turbam conſuluiſſe (2), ut legis doctores audiret corruptas ſcripturas populo exponentes. Jam vero an & uſus aliquando fuiſſet Chriſtus Moſaicis libris, quibus doctrinam ſuam firmaret? Uſi ne Apoſtoli, Evangeliſtæ, ceterique chriſtianæ naſcentis Eccleſiæ ſanctiſſimi viri? Etenim *Apoſtolici viri*, inquit alibi idem Hieronymus (3), *ſcripturis utuntur Hebraicis: ipſos Apoſtolos, & Evangeliſtas hoc feciſſe perſpicuum eſt. Dominus, atque Salvator, ubicumque veteris ſcripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla*; quod patet præcipue ex ipſis poſtremis eius verbis in cruce prolatis Eli Eli lamma ſcavachtani non ex LXX. bibliorum Translatione, quæ interſerit *reſpice in me*, ſed ex Heb. cod. mutuatis. Diſſimulaſſet ne Paullus, qui ait Judæis concredita τὰ τοῦ Θεοῦ λόγια *Dei eloquia* (4),

(1) In Cap. VI. Eſaiæ.
(2) Math. XXIII. 2.
(3) Apolog. adv. Ruffin. Lib. II.
(4) Epiſt. ad Rom. III. 2.

ſi malæ ii fidei cuſtodes fuiſſent? Sed & fieri nulla ratione potuit, ut ſcripturas eo tempore corruperint, quo nulla erat occaſio, quæ illos ad graviſſimum hoc ſcelus perpetrandum adigeret; nam ſi nemo ſit gratis malus, quod emolumentum ex ſacrilego auſu reportaſſent?

Poſt Chriſti igitur tempora corruperunt; quo chriſtianis Meſſiæ oracula ipſis opponentibus veritatem eriperent. At vero, præterquamquod *credibile non eſt*, ut præclare Auguſtinus ait (1), *ipſos a codicibus ſuis voluiſſe eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem*, ſi corrupiſſent ſacras litteras odio chriſtianorum, non dubito, quin hoc in præcipuis locis, ac prophetiis tentaſſent. Atqui tantum abeſt, ut corruptus in illis ſit Hebraicus textus, ut clariorem potius pro nobis eſſe, & luculentius Judæos urgere oculis ipſi noſtris videamus? Atque ut exemplum aliquod proferam, Pſalmo II. v. 12. extat in Vulgata *apprehendite diſciplinam*; quæ lectio nihil de Chriſto magnificum prodit; in Hebraico autem textu נשקו בר *oſculamini filium*, quo maxime nunc Hebræos urgemus. *Anne igitur credibile eſt*, inquit Bellarminus (2), *Judæos mutaſſe ſcripturam, ut luculentius Dei filio teſtimonium perhiberent*? An, quum antea legeretur in Habacuc (3): *opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet, cum narrabitur*, ita in Hebraico

(1) Lib. XIII. de Civ. Cap. XIII.
(2) Lib. II. de verbo Dei Cap. II.
(3) Cap. I. 5.

textu, ut extat, corruperunt, לא תאמינו כי יסופר *quod non credetis, quum narrabitur*, quo nos eorum incredulitatem apertiſſimo teſtimonio evinceremus? Unde Hieronymus, *pudet me*, inquit (1), *contentionis noſtrorum, qui Hebraicam arguunt veritatem; Judæi contra ſe legunt, & quid pro ſe ſit, neſcit Eccleſia.* Quod idem Raymundus Martini, commemoratus Bellarminus, aliique fatentur. Sed utrum dicis ſcripturas Hebræos corrupiſſe? Ante, an poſt Hieronymi tempora? Si primum; te irridet Hieronymus, qui cum allatis a Chriſto, & evangelicis viris ſcripturarum teſtimoniis conſentientem Hebraicum codicem intuebatur. *Sin autem dixerint*, inquit (2), *poſt adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apoſtolorum libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.* Porro quomodo ex corrupto fonte latinam ſuam verſionem aggreſſus eſt ſanctus Pater? Incorrupta ne erit Vulgata verſio, quæ ex vitiatis fontibus prodiit? Nam illud apud omnes conſtat Vulgatam ob maiorem ſui partem Hieronymum auctorem habere; quod in cauſſa eſt, cur multi Hieronymianam eam appellent. Qui Hieronymus, & Auguſtinus auſi fuiſſent corruptum textum Hebraicam veritatem vocare (3), conſuluiſſentque in varia, & dubia verſio-

(1) In Cap. XVII. Jerem. p. 608. T. IIJ. N. Ed.
(2) In Cap. VI. Iſaiæ Tom. III. Oper. p. 64.
(3) Appellantur & ſæpius codices Hebraici libri authentici V. epiſt. Hier.

num lectione ad illum confugere? Immo non reticuissent sanctissimi Patres Judæorum scelus, si quod in sacros fontes admisissent. Jam vero omnes Patrum criminationes corruptæ a Judæis scripturæ in Græcas tantum eorum versiones cadere vel ex uno Justino patet, qui adversus Tryphonem disputans insimulatæ corruptionis exemplum posuit in voce παρθένος (1), cui immerito omnino νεᾶνις substituerunt. Ex quo illud facile intelligitur Justinum non Hebraicum textum, sed Aquilæ interpretationem reprehendisse (2). Quamobrem perperam Justinum, Irenæum, Tertullianum, Eusebium, & Origenem etiam Morinus in suæ sententiæ patrocinium adscivit, ut singillatim ostendit Richardus Simonius (3).

Si post Hieronymi tempora ais factam immutationem, facillimum est ostendere Hebraicum textum in quibusvis rebus ullius momenti cum Hieronymiana interpretatione convenire, totamque fere dissensionem ex varia lectione, aut verbi significatu prodire. Atqui, si ulla immutatio contigisset, in insigniori aliquo textu adgressi illam Hebræi fuissent. An ergo Hieronymus vertit, ut Hebræi postea falsaturi erant? Rursus qui corrumpere eos codices potuerunt, qui christianorum manibus jam ubique

ad Sun., & Fretel. T. II. N. Ed. p. 630. & p. 643., & Tom. IV. Comm. in Ep. ad Tit. Cap. III. p. 437. Præf. ad Eccle. Hebr. text. appellat item fontem veritatis.

(1) Isai. VII. 14.

(2) V. Hotting. Thes. Philol. Lib.I. Cap.II. Sect. IV. Qu. 4. Bellar. de verbo Dei Lib. II. Cap. II., Muis de Heb. Ed. auth., & ver. præm. Comm. in Ps.

(3) Lib. I. Hist. Crit. V. T. Cap. XVIII.

volvebantur? Quomodo iterum Hebræi per omnes mundi plagas diſſipati univerſos codices vitiare potuerunt? Quid Pagnini translationen, quæ ex hodierno Hebraico textu facta eſt, Adrianus VI. (1), & Clemens VII. (2) probarunt? Aut qua ratione factum eſt, ut Agobardus (3), aliique ſancti viri, qui poſt Hieronymum floruere, Hebraicum textum Hebraicam adhuc veritatem appellent, tot autem clariſſimi Theologi, & Interpretes eum conſuluerint, verterint, & ſummis quoque laudibus illum, ut incorruptum, & puriſſimum celebrarint? Denique *ſi Judæi*, optime ad tuendam Hebraici codicis integritatem Glaſſius argumentabatur (4), *quocunque tempore voluiſſent falſare textum Hebraicum, multomagis idipſum tentaſſent in Thargumim, ſeu Paraphraſibus chaldaicis*. Nam tum primum clariores ſunt chaldaicæ Paraphraſes; dein & prodidiſſent ipſæ procul dubio Hebræorum dolum, ni & illas vitiaſſent. Atqui incorruptæ eæ ſunt, & ubique pro nobis clariſſimæ.

Equidem Hebræi nec potuerunt, nec voluere ſacros codices corrumpere; ſed etſi voluiſſent, nihil ne divinæ providentiæ intererat Hebraicum textum incorruptum ſervari? Omitto Hebraicum textum eum eſſe, in quem Deus verba ſua non vi ſolum, & energia, ſed & myſteriis fœcundiſſima concluſit.

(1) Die XI. Maii an. 1523.
(2) Die VI. Junii 1526.
(3) Lib. de Judaicis superſt. N. XI.
(4) Philol. Sacra Lib. I. Tract. I. Par. I. arg. 2. p. 22.

Omitto ſi qua verſione ulla natio, aut Eccleſia indiguit, ex eo potius, quam ex rivulis repeti debuiſſe. Omitto, ſi in verſiones nævi irrepant, incorruptum fontem eſſe oportere, ad quem illæ emendentur. An non divinæ providentiæ eſt noſtram apud Judæos fidem, noſtrorumque dogmatum veritatem in judaico codice apud ipſos infenſiſſimos hoſtes ſervari, ut Etnico hæc pateat nos ea, quæ prædicamus, ex uno noſtro cerebro proferre calumnianti? Audi Juſtinum Martyrem (1): *quod ſi quis obſtinatus neget hos Judæorum libros ad ſe pertinere, qui uſque hodie in ipſorum Synagogis aſſervantur, dicatque nos fruſtra inde pietatem diſcere, audiat ipſam ſcripturam, quod hæc doctrina non illorum, ſed noſtra ſit: ſervari autem etiam nunc apud Judæos noſtram religionem Dei erga nos eſt providentiæ, qui, ne maledicendi occaſionem præbeamus iis, proferendo illos ex Eccleſia noſtra, malumus illos e Judæorum Synagoga proferri.* Audi & Auguſtinum (2): *quando volumus oſtendere prophetatum Chriſtum, proferimus Paganis iſtas litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Chriſtiani compoſuimus, ut cum Evangelio, quod prædicamus, finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur, quod prædicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipſæ litteræ, quibus Chriſtus prophetatus eſt, apud Judæos ſunt, omnes ipſas litteras habent Judæi. Proferimus codices ab inimicis,*

(1) Serm. ad Gentes apud Glaſſ. p. 25. Philol. S.
(2) In Pſalm. LVI. n. 9.

cis, ut confundamus alios inimicos .... Codicem portat Judæus, unde credat christianus. Librarii nostri facti sunt. Alibi vero (1) baiulare Judæos asserit S. Doctor *legem, & prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ.* Quomodo ergo sat Ecclesiæ honori, sat Evangelii veritati consultum esset, si corrupto primigenio textu solam latinam versionem a nobis ipsis confectam haberemus? Immo qui Vulgatæ dignitatem, & fidem adversus eiusdem osores tuebimur, si corruptus est fons, unde eius puritas luculenter evincitur? Demum, ut illud quoque afferam, quo multum roboris inesse puto, parum ne Ecclesiæ ipsius intererat primigenios textus incorruptos habere, ut ad eorum conservationem nihil studii, nihil sollertiæ adhibuerit? Nec enim minus ad Ecclesiæ curam Hebræi, & Græci codices, quam Latini pertinent; *unde primo efficitur*, recte concludit Mariana (2), *neque eos codices potuisse in universum, vel in re maioris momenti corrumpi: continuo enim Ecclesia occurrisset.*

Quinam vero sunt ii textus, quos ais Hebræos corrupisse? Num כארי Caarì loco כארו Caarù, aut יקרא Ichrà loco יקרא Ichareh (3)? Verum quid hinc corruptionis in priori exemplo sacro codici eveniet, si dicere cum Genebrardo vellemus (4) Caarì, & Caarù variantem lectionem esse, seu aliud Kerì

(1) Lib. XII. contra Faust.
(2) Tract. de Vulg. lat. Ed. Cap. IX.
(3) Prior locus Ps. XXII. 17. Posterior Esai. IX. 6.
(4) Comm. in hunc Ps. locum.

in margine, alterum vero Chediv in textu, ut Hebræi loquuntur? Nam optima, & antiquissima exempla habere כארו Caarù adductis Judæorum testimoniis idem Genebrardus demonstravit. Afferri solet R. Jacob Chaiim collector operis Masorethici Veneti, qui in eadem Masora lit. אר sequens huic sententiæ testimonium perhibuit: במקצת ספרים מדויקים מצאתי כתוב כארו וקרי כארי *in quibusdam libris correctissimis inveni scriptum* (in textu) כארו *Caarù*, *&* *lectum* (in margine) כארי *Caarì*; quod idem in nonnullis se exemplaribus vidisse Johannes Isaacus ex Judæo Christianus, & Felix etiam Pratensis testati sunt. Et sane, quod maximum robur addit, favet Masora magna ad Num. XXIV. 9. כארי ב' וסי' כרע שכב כארי כארי ידי ורגלי כארו כתוב *Caarì extat in duobus locis; indicia sunt: incurvavit se, procubuit Caarì sicut leo* (1), *Caarì manus meas, & pedes meos* (2); *Caarù scriptum.* Favent & vetustissimæ omnes versiones; nam LXX. verterunt ὤρυξαν, Syrus ܒܙܥܘ, Arabs ثقبو, Chaldæus Paraphrasta נכתין, Latinus demum *foderunt*. Quæ omnia recte expensa multam vim habere videntur, & tantam olim apud Ximenium habuere, ut in Complutensi bibliorum Editione ab eo facta in Hebraico textu τῷ Caarì supposuerit כארו Caarù. Verum necesse non est ab hodierna communi lectione כארי

(1) Num. XXIV. 9.
(2) Est controv. locus Ps. XXII.

recedere, ut ad diversam, quæ olim extiterit, lectionem confugiamus; quam valde dubitant viri clarissimi allatis momentis posse rectissime confirmari. Equidem commemoratus R. Jacob Chajim statim subdit: אמנם בקשתי באינון מלין דכתיב ו׳ בסוף תיבות וקרי י׳ ולא מצאתי נמנה בחשבונם וגם בחלוף המקרא דיש בין מדנחאי ומערבאי ולא נמנה שם *Profecto pervestigavi inter ea vocabula, quæ scriptum habent* vau *in fine dictionum, & leguntur per* jod; *nec inveni computatum in istorum numero. Etiam in varietate lectionis, quæ est inter orientales, & occidentales; nec numeratum est ibi.* Quæ sane demonstrant nullam variantem lectionem olim fuisse, quam pauci codices, quos affert, sat statuere, ac stabilire nequeunt. Masoræ locum marginalem aliena manu assutum suspicatur Altingius (1); quod spectat saltem ad posteriora verba כארו כתוב; quod quidem asserere non audet Glassius (2), sed tum ex ipso R. Chajim, tum ex Masora parva sat ostendi putat *de quibusdam modo, & Masoræ quidem authoribus non probatis codicibus ibi agi.* Opponitur Masora parva, quæ memorat Caarì absque ullo Chediv, & hodiernam lectionem luculenter confirmat. Versiones autem optime & Caarì legere potuerunt, quod hoc loco significare, non *sicut leo*, sed *foderunt*, ex ipsa etiam Masora ediscimus. Quidquid sit de nonnullis exemplaribus,

(1) Dissert. Philol. de Integritate vocis *Caarì*. Inter ej. Dissert. V. n. 63. & seqq.

(2) Philol. Sacra Lib. I. Tr. I. Par. I. Sect. II. n. 48. p. 125.

quæ habuerint in textu Caarù, annon Cherì prævalet τῷ Chediv? Semper ergo melior lectio Caarì, quod lectum, non Caarù, quod scriptum tantum extabat, reputari deberet. Jamque hodie nullum apparet variantis huius lectionis, & antiqui Chediv vestigium, & recepta textus lectio est Caarì, quam retinent e nostris viri in Hebraica philologia exercitatissimi, quin ullius corruptionis, & fraudis Hebræos accusent, aut ad variantem olim incertam plane lectionem confugiant, ita eam illustrantes, ut eundem habeat sensum cum Caarù, idemque prorsus afferat Religioni nostræ adversus Hebræos subsidium.

Glassius in eam sententiam aliquando devenisse testatur (1), quod כארי connecti deberet cum præcedentibus, & repeti dictionem הקיפוני Ikkiphùni, quam tamen, ut significaret *perfoderunt*, non a radice יקף, sed a נקף *excidit*, *perfodit*, repetit, quo significatu apud Jobum (2) occurrit. Illud forte exceperat Glassius a clarissimis Hebræorum commentatoribus R. Aben Ezra, & R. David Kimchì; quorum prior scripserat in hunc locum: וטעם כארי דבק עם הקיפוני שהקיפו כאריה ידי ורגלי *sensus vocis Caarì* sicut leo *coniungitur cum Ikkiphùni* circumdederunt me, *quod circumdederint quasi leo manus meas, & pedes meos.* Alter vero ita exponit: כי הקיפוני כמו הארי *quoniam circumdederunt me sicut leo.* Verum obstat gravis-

(1) Cit. loco p. 127.
(2) Job. XIX. 26. V. & Alting. cit. Diss. n. 27. usq. ad n. 34.

ſima Maſoræ auctoritas in hunc locum (1) כ׳ארי ב׳ קמצין בתרי לישני *Caarì duplex eſt* Kametzatum *in duabus ſignificationibus.* Item Maſora magna exhibens nobis catalogum dictionum, quæ bis tantum in ſcriptura occurrunt, בתרי לישני ſed ſenſu diverſo, numerat inter alias & hanc noſtram Caarì. Atqui in altero Eſaiæ loco (2), quem indicat Maſora, Caarì ſignificat proculdubio *ſicut leo*, ut ex contextu apparet. Igitur controverſo Pſalmi loco alium omnino ſignificatum obtinebit. Et quidem multi ſunt, qui hodiernam textus lectionem כארי in diverſa leonis ſignificatione, in ratione verbi, non nominis, atque analogice prorſus ad ſenſum, quem Vulgata, antiquiſſimæque illi verſiones tribuunt, præclare defendunt. Singularis eſt opinio Ludovici de Dieu viri orientalium linguarum ſcientia clariſſimi. *Quid*, inquit (3), *de* כארי *ſtatuendum dicemus? Ne ea quidem lectio mendoſa eſt. Eſt enim* כאר (Caèr) *infinitivus Piel, eiuſdem ſcilicet coniugationis, cuius eſt Syrorum* ܟܐܪ (Caàr), *quod ſupra attulimus. Inde fit regulariter cum affixo primæ perſonæ* כארי *manente* Kametz, *quia valet Patach ſequente daghes. Vertas licet* deturpando me manibus, ac pedibus meis, *vel deturpando mihi manus meas, ac pedes meos, quod conſtruitur cum antecedenti præterito* עדת מרעים הקיפוני congregatio maleficorum circumde-

(1) V. Maſoram parvam.
(2) Eſai. XXXVIII. 13.
(3) Animadv. in h. l.

derunt me. Scilicet de Dieu *aleph*, non epentheticum, ut ceteri arbitrantur, ſed radicale eſſe maluit a כאר Caar, quod a Syris mutuat; unde eſt quoque כאור *turpe*, quod in Hebraico ſuo lexico Tzemach David David de Pomis attulit. Aliam init viam Jo. Friſchmuthus, qui in peculiari Diſſertatione (1) de Meſſiæ manuum, & pedum perforatione tuetur & ipſe hodiernam lectionem כארי in ſenſu fodiendi; putat enim Caarì eſſe tertiam perſonam pluralem præteriti a rad. כור, quin obſtet vel epentheſis aleph, vel terminatio chirech. Nam demonſtrat auctoritate Kimchi inſolens non eſſe eiuſmodi perſonis quieſcentium ſecundæ aleph aliquando inſeri, aut kirech terminari; ut Eſai. X. verſ. ul. נשאי, quod notat Maſora eſſe loco נשאו.

Verum ſat analogice, atque omnium optime exponi hanc dictionem ab Altingio (2) arbitror, qui ſtatuit כארי eſſe plurale maſc. participii præſentis, ſeu Benoni in Kal a כור, & poni pro כארים *fodientes*. Etſi enim hæc radix lexicographis plerumque inuſitata videtur, derivata tamen probant ſynonimam eſſe alterius כרה *fodit*, ut דום, & דמה; quum ea, ut patet ex כור *catino*, effodiendi ſenſum ſortiantur. Quamquam hanc radicem præter recentiorem Stockium in ſuo dictionario Hebræo (3) af-

(1) Extat in Theſ. Philol. Theol., ſeu Syll. Diſſert. ad Sel. loca V. & N.T. Theologor. Proteſt. p. 611.
(2) Cit. Diſſert. de Integrit. vocis *Caarì* n. 43. & ſeqq.
(3) Pag. 373. apud Glaſſ. Philol. S. Lib. I. p. 131.

fert Forſterus : כור *fodit, perfodit, excidit; congruit ſignificatione cum verbis* קור, כרה, & קרת. Quare ergo non eſt כרים, ut קום, & רום habent in plurali Benoni קמים, & רמים? Optime Forſterus commemoratus: *verba habentia in medio* vau *litteram quieſcentem eam aliquando ſolent commutare in* aleph (1); jamque omnes norunt viciſſitudinem litterarum Ehevi, & frequentem unius in alteram immutationem. Exempla a Forſtero, Altingio, Glaſſio plura adducuntur, e quibus unum affero קאם Hoſeæ X. 14. a קום, & ראמה Zach. XIV. 10. a רום. Quæ erat porro, inquis, huius epentheſis, aut mutationis neceſſitas? Etſi nulla hæc eſſet, non ideo tamen illam poſſumus in dubium vocare; quum hæc ex ſcriptoris arbitrio, ac voluntate unice pendeant; verum, quod Altingius ſuſpicatus eſt (2), hanc formam כארים loco כרים, ut analogia poſtulabat, regius vates uſurpaſſe videtur, ne participium Benoni cum nomine כרים, quod ſignificat *Patres familias, Proceres*, confunderetur. An non & Ezechiel, ut שטים verbum *flagellantes* differret a nomine שטים *remiges*, eandem plane & ipſe formam uſurpans non שטים, ſed שאטים conſcripſit (3)? De chaldaica forma Benoni non loquor; nam frequentiſſime hæc in ſcripturis occurrit; nimis inſolens cuipiam forte videbitur defectus *mem*, & כארי Caarì poſitum loco כארים Caarim.

(1) Ibidem.
(2) Cit. Diſſ. Num. XLVII. p. 199.
(3) Cap. XXVIII. v. 24.

Sed an inusitata fortasse est apud Hebræos in scripturis apocopata hæc pluralium terminatio? Audi, quid in suis Fundamentis punctationis linguæ sanctæ (1) doceat commemoratus Altingius: *terminatio pluralis masculina* ים ... *etiam interdum caret litera* mem, החצי sagittas, *ubi in margine notatur legendum* החצים *I. Sam.* XX. 38. *sic juxta Masorethas ter legitur* עמי Populi *pro* עמים 2. Sam XXII. 44. Ps. 144. 2. Lam. III. 14. Et post plura adhuc allata exempla huc quoque pertinere asserit nostrum כארי pro כארים. Sed & Hottingerus, ut a Pfeiffero observatum est (2), inter plurales masculinorum terminationes hanc etiam reposuit (3). Visne proferri doctiorem aliquem ex Hebræis grammaticum, qui id testetur? Hæc de plurali masculino ים in suo opere grammatico conscripsit R. David Kimchi: ויש שיבואו בחירק כמו שיבואו עם המם *& sunt pluralia, quæ usurpantur cum solo chirech, quæ sunt ac si usurparentur cum* mem *superaddito.* Igitur quum auctoritate, & exemplis hæc apocope in pluralibus masculinis confirmetur, *tot exemplis,* subdit Altingius (4), *nostrum* כארי *adscribere quid impedit? Maxime cum nomen ab eadem radice descendens* כרים Patresfamilias, Proceres, *bis quoque isto* ם *plurali careat,* 2. *Reg. II. v.* 4. לכרי, *& v.* 19. את הכרי *affirmantibus ibidem*

(1) Sect. V. de Nomine §. 71.
(2) Introd. in Orientem Diss. V. Qu. XIX.
(3) V. Gramm. IV. linguar. Harmon. Cap. VII. p. 29. & Erotem. p. 40.
(4) Cit. Num. XLVII.

commentatoribus R. Davide Kimchi, *&* R. *Levi ben Gerson.* Hæc, quæ hucusque adduximus, multum sane ponderis habere recentioribus etiam lexicographis visa sunt, ac cumprimis Christiano Stockio, qui in Clavi linguæ sanctæ V.T. Altingii sententiam sectatur (1): כור *fodere. Inde est participium plur. m.* כארי *fodientes Ps.* 22. 17. *pro* כרים, ם *per apocopen resecto, &* א *per epenthesin inserto.* Jam vero si ita explicetur, atque illustretur hodierna huius loci Hebraici textus lectio, ut necessario exponi debet, atque adeo facile cuique est, & obvium, quæ ibi erit Hebræorum fraus, & malitia, quodnam corruptionis indicium?

De Ikrà vero loco Ikareh Esaiæ IX., qui alter fuit ullius quoque momenti abunde a nobis superius adductus bibliorum locus, longe minor est corruptionis suspicio. Nam Ikrà multis quidem seculis ante ullam Masoretharum punctationem legisse videntur Aquila, & Theodotio, qui non attendentes hebraismum, atque indolem linguæ sanctæ verterunt καὶ ἐκάλεσε *& vocavit*; quod ostendit eos nimis verbo adhæsisse, & fuisse litteræ tenacissimos. Ceteri vero omnes interpretes legerunt & ipsi Ikrà, sed sensu τοῦ Ikareh *vocabitur*; quemadmodum ibi manifestissime intelligi debet, & ex Hebræorum loquendi more, & formulis potest. Optime in hanc rem Guarinus (2):

F

(1) Sub rad. *Cur*.
(2) Præf. ad Gramm. Hebræo-Chald. §. 2. ad II. Argum.

si alias omnes Masoretharum insidias ex his unis licet cognoscere, illi sane de textus Hebræi corrupti crimine non modo purgare se facile possunt, verumetiam accusatores suos calumniæ, summæque primorum linguæ sanctæ idiotismorum ignorantiæ accusare. Quem enim unius, aut alterius mensis tyrunculum fugit, tertias verborum activorum personas cum singulares, tum plurales passive, *&* impersonaliter, *ut loquuntur, sæpius accipi? Quod tamen nesciunt boni illi viri, qui Masorethas de textu Hebræi corruptione postulant, quod in eo Isaiæ loco voci* ויקרא *puncta vocalia activa supposuerint.* Singularem hunc idiotismum animadverterunt, quotquot de idiotismis scripsere, Glassius in primis, qui in Philologia sacra agens de verbo hunc canonem constituit, & multis allatis exemplis confirmat. *Activa verba quandoque passivorum significationem assumunt, peculiari linguæ Hebrææ idiotismo* (1). Sane Gen. XVI. 14. activum verbum קרא passivam significationem obtinet. Nam si vocasset Agar, de qua in præcedentibus versiculis sermo habetur, non קרא, sed קראה scribi debuisset. Quamobrem Diodati in Itala sua translatione vertit: *perciò quel pozzo è stato nominato;* Gallica autem Genevensis versio: *c' est pourquoi on a appellé ce puits.* Et ipse textus verba perfecte verti crediderim: על כן קרא לבאר באר לחי ראי *quapropter vocatum est puteo: puteus viventis videntis me;* quem idiotismum re-

(1) Philol. S. Lib. III. Tr. III. Can. XXIII. p. 816. V. & Perer. in Gen. XV. Pineda in Job. III. 3. Ribera in Mich. II. 17. apud Hotting. Thes. Philol. Lib. I. Cap. II. Sect. V.

ticuit omnino Vulgatus interpres. Jobi tamen III. 3., ubi extat tantum in Hebraico textu activum אמר, præter allatas versiones idiotismum quoque expressit Vulgata, quæ habet: *pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est.* Item Mich. II. 4., ubi plura in uno versiculo exempla occurrunt, ביום ההוא ישא עליכם משל, idiotismum vertit Vulgata: *in die illa sumetur super vos parabola*; ut & LXX. Interpretes: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ληφθήσεται ἐφ' ὑμᾶς παραβολή. Passivo igitur sensu exponi potest, & debet controversa dictio ויקרא, ut optime exposuere Chaldæus Paraphrasta, LXX. Interpretes, Symachus, & Hieronymus: quin ullum inde detrimentum patiatur Messiæ divinitas, quæ ex illo testimonio adversus Hebræos ostendi solet. Utique hodierni Judæi hebraismum non vertunt, quamobrem in Ferrariensi eorum. Hispanica translatione Vaikrà active Deo referunt, qui admirabilis, ut est, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater æternitatis, Messiam vocarit שר שלום Principem pacis: *y llamo su nombre el Maravilloso, el Consejero, el Dio barragan, el Padre eterno, Sar Salom* (2). Verum præter cl. eorum Doctorem Aben Ezra, qui candide fatetur videri sibi כי כל אלה שמות הילד cuncta hæc nomina puero congruere, sat ex Targùm, immo ex Talmude ipso revincuntur, quod in

(1) Recte propterea ex mala hac versione Ferrariensem versionem notat Cassiodorus de Reyna in Præf. ad Hisp. suam Translationem, cui tit. La Biblia, que es, los sacros libros del vieio, y n. Test. trasladad en Espannol 4. 1622.

tractatu Sanhedrin (1) cuncta ea octo nomina ſimul ut appellativa recenſet, & puero naſcituro tribuit, in hoc dumtaxat turpiter errans, quod Ezechiæ ea tribuat; etſi inſolens Thalmudiſtis nonnullis non eſt Ezechiam Meſſiam habere, quæque de Meſſia dicta ſunt, Ezechiæ luculenter accommodare. Quod ex Hillele præcipue conſtat (2) דאמר אין משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה *qui dixit: non eſt amplius Meſſias Iſraeli, qui jam compotitus, vel fruitus eſt eo diebus Ezechiæ.* Sat demum revincuntur ab iis omnibus ſuis Doctoribus, qui hebraica huius loci Meſſiæ nomina, quæ nos diſtinguimus, יועץ אל *Conſiliarius, Deus* inepte connectunt, vertuntque in caſu regiminis *Conſiliarium Dei.* Sed abunde, ut puto, controverſa, quæ nobis ipſi propoſuimus, loca a corruptione vindicavimus; ex quibus poteris ad cetera argumentari. Nam ſi hæc loca, quæ præcipua ſunt, & in quibus maximum momentum ad oppugnandam Hebraici contextus ſinceritatem ſitum eſt, integra ea deprehendis, eiuſdem prorſus cum vulgata verſione ſignificationis, idem quoque ſubſidium Eccleſiæ adverſus Synagogam afferentia, qui alter erit primigenius textus, qui multo facilius vindicari, ac luculentius nequeat? Conſule, ſi lubet, de integritate Hebraicor. codic. tres Muiſii Aſſertiones veritatis Hebraicæ Morino oppoſitas, Voiſinii obſervatio-

(1) Cap. XI. f. 94. apud eund. Guarin. cit. l.
(2) Tract. Sahed. eod. Cap. XI. Excerp. Coccej. XXXVI. pag. 359. & 361.

nes ad Raym. Martini Pugionem fidei, Dupin Dissertation preliminaire sur la Bible (1), Natal. Alex. Histor. Eccles. (2), Witasse in Theologico Tract. de Scrip. S. (3), Guarini Præf. ad Gram. Hebræo-Chald. (4), hex eterodoxis Hottingerum Thes. Philol. (5), Glassium in Philologia Sacra (6), Sixtin. Amama Lib. III. Antibarbari Biblici, Leusden. Philol. Hebræo (7), & Waltonum in App. Biblico (8), ut paucos ex utroque genere memoremus.

CAP. III.

Non posse Hebraicorum Codicum, & harum litter. usum in illorum integritatis hypothesi stabiliri ob tot versiones accuratissimas a viris Hebraice doctissimis ex ipsis eisdem Heb. fontibus elaboratas.

At vero, inquiunt, utut Hebraicum contextum incorruptum ponamus, iniuria tamen nos quispiam accusaret neglectæ Hebraicarum litterarum disciplinæ. Quæ enim adhuc esse potest post tot optimas versiones ex Hebræo fonte a viris hebraice doctissimis elaboratas illius consulendi necessitas? Equidem

(1) Lib. I. Cap. IV. §, 4.
(2) Diss. XXXIX. ad Sæc. IV. Ar. 5.
(3) Quær. 9. 10. & 11.
(4) §. 2.
(5) Lib. I. Cap. II. Sect. IV. Qu. 3.
(6) Lib. I. Tract. I.
(7) Differt. XXXIII. Sect. 2.
(8) Proleg. VII.

is ego non ſum, qui translationes damnem, ortaſque in univerſo tenebras, ut cœperunt illæ inſtitui, aut durum propterea jeiunium cum hebraiſtis Hebræis indicendum putem. Nam multæ ſunt interpretationes utilitatis, decebatque quammaxime, ut latina, & græca Eccleſia latinis quoque, ac græcis translationibus uteretur. Adeo tamen abeſt, ut hæ Hebraicorum fontium conſultationem excludant, ut eam potius exigere neceſſario videantur. Ecquid primum conſilii capies, ubi a vera interpretes primigeniorum verborum ſignificatione abludant? Nunquam ne forte hallucinatos eos putas, aut peculiarem habuiſſe divinum ſpiritum, qui genuinum cuiuſvis dictionis ſenſum evolverit? Si eiuſmodi ſunt, non diſputo: at temere nimis iſtud a te audiretur, quod non ſolum interpretes ſinguli de ſe dici nolunt, ſed & experientia ipſa contradicit. Hieronymus ipſe Vulgatæ auctor, quidquid Canus, Titelmannus, aliique ſentiant, ſat ſe prophetam non eſſe oſtendit; nam dubitat aliquando Sanctus Pater de vero Hebraicarum vocum ſignificatu, atque aliam interdum in ſuis Commentariis interpretationem ab ea, quam in verſione retinuerat, perſequitur. Translationes in Exaplis extantes conſulit, præ ceteris vero ſui ævi Judæos interrogat, eorumque dictata, & expoſitiones complectitur. *Hoccine Prophetarum eſt,* inquit Rich. Simonius (1), *aut prophetam ſapit? Ni*

(1) Hiſt. Crit. V. T. Lib. I. Cap. XI. V. & Dupin Diſſert. Prélim. ſur la Bible Liv. I. Chap. VII. §. 11.

forte Judæos illos, quibus usus est, prophetas quoque fuisse affirmes. Quid vero si ipse sanctus Pater falli se potuisse, & errasse revera fateatur, ut inferius nos animadvertemus? Interpretes ergo homines sunt, fallibiles omnino, eorumque versiones non peculiari Dei spiritu, & adsistentia, sed una hominum cura, & industria, unis consuetis Hermeneuticæ artis subsidiis elaboratæ in Ecclesia prodierunt. Atque hæc quum ita sint, an omnes in primis sat a natura instrumenti, ac facultatis sortiuntur? Quot interpretantur non sat adhuc primigeniarum linguarum periti, cuiusmodi latinos Græcorum codicum interpretes quondam fuisse tradidit Augustinus? *Ut enim cuique*, inquit (1), *primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Sane ob unam hanc caussam dubitavit aliquando cl. Huetius (2), *detrimenti ne plus in Rempublicam litterariam invexerit interpretandi ars, an emolumenti.* Ut ut vero aptam rei gravissimæ utriusque linguæ scientiam consequuti sint, an adhuc omnes pari labore, ac diligentia valent? Sed quamquam sat eruditos interpretes existimamus, perspicaces ingenio, undique etiam sollertissimos, *difficile tamen est*, inquiebat olim ad sui excusationem Hieronymus (3), *alienas lineas insequentem non alicubi excidere.*

(1) Lib. II. de Doct. Chr. Cap. XI.
(2) De claris Interpr. sub init.
(3) Ep. ad Pammach. *De Opt. gen. Interpret.*

Μεδὲν ἁμαρτεῖν ἐςὶ θεῶν, καὶ παντα κατορθοῦν
Εν βιοτῇ μοῖραν δ' οὔτι φυγεῖν ἔπορεν.

Dii bene perficiunt, quicquid voluere, nec usquam
Errant; mortales aspera fata premunt (1).

Quum vero arduum in universum sit interpretandi genus, & difficillimum adsequi in omnibus auctoris mentem, tum in scripturarum præcipue interpretatione, quas Petrus lucernam lucentem ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ in caliginoso loco (2) merito appellavit. ומי יודע פשר דבר *Ecquis scit genuinam verbi interpretationem*, de divinis eloquiis jure cum Salomone exclamare possumus (3)? Atque hinc Augustinus de scripturarum interprete sermonem instituens, *& ex ambiguo linguæ præcedentis*, inquit (4), *plerumque interpretes fallitur, cui non bene nota sententia est, & eam significationem transfert, quæ a sensu scriptoris penitus aliena est.* De LXX. non loquor; nam hodierna eorum versio, quod tamen suis auctoribus nolim omnino tribuendum, ita crebro aberrat, atque a suo fonte discedit, ut alicubi vix ullum primigeniorum verborum vestigium retinere videatur. Exemplo sit v. 3. Cap. Isaiæ XVIII. אשר בזאו נהרים ארצו כל־ יושבי תבל ושוכני ארץ בנשוא נס הרים תראו *Cui* (genti) *diripuerunt flumina terram eius. Omnes habitatores orbis, & qui incolitis terram, quum elevabitur signum*

(1) Apud Demosth. Orat. *De Corona.*
(2) Epist. II. Cap. I. 19.
(3) Eccle. VIII. 1.
(4) Lib. II. de Doct. Chr. Cap. XIII.

ſignum in montibus videbitis; quem ita habent LXX.: νῦν οἱ ποταμοὶ τῆς γῆς πάντες, ὡς χώρα κατοικουμένη. κατοικηθήσεται ἡ χώρα αὐτῶν, ὡσεὶ σημεῖον ἀπὸ ὄρους, ideſt vertente Hieronymo, *nunc flumina terræ omnis* (omnia) *ſicut regio, quæ habitatur: habitabitur regio eorum, quomodo ſi ſignum de monte elevetur*. Porro quænam eſt ibi Hebraici textus imago, aut quæ comparatio?

Ad Hieronymum me confero virum, in quo non ingenium, non ſolertia, non demum profunda trium præſertim linguarum cognitio deſideratur. Jam vero quamquam multis ſanctus Pater præſidiis ad graviſſimum munus ſuffultus fuit, quæ non omnium ſolum, quotquot ſequuti ſunt, interpretum, ſed & totius Eccleſiæ laudes ei pepererunt, tamen annon aliquando & ipſe hallucinatur? Etſi eo minus hoc eſt ſanctiſſimo Doctori exprobandum, quo clarius, ac ſincerius eum habemus humiliter illud fatentem. Nam in Cap. XIX. Iſaiæ, *melius reor*, inquit, *proprium errorem reprehendere, quam, dum erubeſco imperitiam confiteri, in errore perſiſtere.* Non ea huc affero loca, in quibus Hieronymus falſam plane peregrinarum vocum interpretationem reliquit, ut teſtimonium habemus in Ægyptiaco Joſephi nomine luculentiſſimum. Ubi enim habet Hebraicus textus (1) ויקרא פרעה שם יוסף צפנת פענח *& vocavit Pharao nomen Joſephi abſconſionis, ſeu abſconditarum rerum revelatorem*, legit Hieronymiana verſio: *vertitque nomen*

(1) Gen. XLI. 45.

eius, & vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi. Prætereo S. Patrem ibi paraphrastam potius, quam interpretem agere; sed unde didicit is, etsi in Ægypto commoratus sit, צפנת פענח, aut totum Copticum ⲯⲟⲛⲑⲟⲙⲫⲁⲛⲏⲭ Ægyptiace (1) significare *Salvatorem mundi?* Aliter sentit Athanasius Kircherus eruditorum judicio in Copticis literis facile princeps (2). Aliter Philo (3), Josephus (4), & auctor chronici Alexandrini (5). Aliter demum, & verius vertunt vetusti omnes interpretes a Kirchero allati. Nam. Chaldæus Paraphrastes Onkelos vertit גברא דמטמרן גלין ליה *vir, cui abscondita revelantur.* Targum Jonathani tributum גברא דטמירן מפרשם *vir, qui abscondita explicat.* Syrus: ܨܦܢܬ ܦܥܢܚ ܕܟܣܝ̈ܬܐ ܓܠܝܢ ܠܗ *Tzaphnàth phanech, cui scilicet occulta revelantur.* Arabs denique صوفنج

(1) Bonjour anno 1696. Differt. de hoc Jos. nomine evulgavit, qua Vulgatam, & Hieron. defendere conatur, & demonstrare Tzapnath Pahneach posse ægyptiace significare *Salvatorem mundi.* Verum, quæ attulit, meræ coniectationes sunt, quæ rem non conficiunt. *Ce sont des conjectures, qui font connoitre l' érudition de l' Auteur; mais qui ne peuvent pas passer pour des preuves solides.* Dupin Biblio. des Aut. Eccl. ult. Tom. p. 355. de P. Bonj.

(2) In Prodromo copto Cap. V.

(3) Lib. de Joseph.

(4) Lib. non I., ut notat Kircherus p. 128. sed II. Antiq. Cap. III.

(5) Fol. 179. edit. Græco-Lat. apud eund. Kirch. p. 127.

الجفيات *qui pandit abſcondita.* Hæc tamen, ut dixi, non perſequor, ut nec ea, quæ citra ſancti Patris judicium notant eruditi. Quoties vir optimus non ſat recte vertit in textu, quod rite dein ſuis in commentariis exponit? Eſaiæ XXII. 17. הנה יהוה מטלטלך טלטלה גבר *ecce Dominus deportatione deportabit te, o vir*, o tu, qui modo fidis viribus ſuis, ut explicat Vatablus (1), vertit, ut extat in Vulgata, Hieronymus: *ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus.* De qua interpretatione audi ipſum Hieronymum (2). *Geber*, inquit, *omnes virum interpretati ſunt. Hebræus autem, qui nos in veteris inſtrumenti lectione erudivit, gallum gallinaceum tranſtulit. Sicut, inquit, gallus gallinaceus humero portitoris de alio loco transfertur ad alium, ſic te Dominus de loco tuo leviter aſportabit* (3). Unde ergo prodiit gallus hic gallinaceus, niſi ex Hebræorum cerebro? Nam præter commemoratum Hebræum Hieronymi præceptorem R.Salomò Jarchi de gallo gallinaceo גבר hoc loco uſurpat, & de eo pariter illud *via* גבר *viri in adoleſcentula* Prov. XXX. 19. in Midras Mislè exponi jamdudum obſervavit Druſius (4). Annon quoque Hieronymus in Hebraicis ſuis quæ-

(1) In h. l. apud Polum in Synopſi.
(2) Lib. VII. Comm. Eſai. ſup. h. l. p. 200.
(3) Arias Montanus contra in lib. Joſeph, ſeu de Arcan. ſermone ſequitur verſionem Hieronymi de gallo gallinac., in verſione vero eam deſerit.
(4) Lib. X. Obſervat. Cap. VIII. Crit. S. T. VIII. p. 266.

ſtionibus animadvertit מרחפת (1) potius *incubabat* ſignificare, quam *ferebatur*? Atqui tamen poſteriorem hanc interpretationem, quam in ſuis quæſtionibus minus probat, in verſione retinuit. Non eſt opus plura exempla afferre, quo demonſtremus ipſo etiam fatente ſanctiſſimo Patre haud ſatis aptam aliquando eum translationem ſequutum eſſe; quum fateantur viri religioſiſſimi in Hieronymiana verſione non typographorum ſolum, ſed & interpretis errata reperiri. Quod ſi de Hieronymo ex eius ſententia, atque abſque ulla iniuria dicimus, quid erit de ceteris latinis præcipue interpretibus ſentiendum, qui cum Hieronymo comparari nequeunt.

Nunc quid dicam de interpretum licentia? Interpres, ſi Huetio credimus (2), debet ita ſententiis dare operam, ut verba non negligat, nec ita ſtudere verbis, ut ſententias labefactet. An, quum in omnibus translationibus exacte, accurateque hoc præſtare adeo difficile ſit, erit id in ſcripturarum interpretatione facillimum? Atque hinc alii, dum preſſi, ac literalis interpretis laudem quærunt, evadunt in referendis ſententiis obſcuriores, ut intelligi vix poſſint; quod, quamquam eos unos commendare videantur Hebræi literæ, ac verborum tenaciſſimi, reprehendere tamen in celebri Ferrarienſi eorum translatione non dubitavit R. Iſaacus de Acoſta, &

(1) Gen. I. 2.
(2) De Opt. Gen. interpretandi §. 8.

libere de ea fateri (1), *que ſu Traductor demaſiado de exacto traduxo tan en rigor a la letra, que ademas del eſcabroſo eſtilo, que cauſa la improporcion de algunos adverbos y terminos de una lengua con otra eſcurece de tal modo el ſentido en algunas partes, que ò no puede entenderſe la oracion, ò ſe entiende muy diferente.* Alii vero liberiores detrahunt in interpretationibus, adiiciunt, interpolant, ut non interpretes, ſed paraphraſtas agere videantur. In mutilationis exemplum afferri poteſt verſ. 2. Capitis Jerem. L. הגידו בגוים והשמיעו ושאו נס השמיעו; *qui locus*, inquit Bootius (2), *a Græcis indigne tractatus, ac non ſolum ſecundo* והשמיעו, *ſed & integro illo commate, ob quod eum hic adducimus,* ושאו נס *mutilatus eſt: hanc ipſorum vel negligentiam, vel malam fidem unanimiter arguentibus Syro, Chaldæo, & Hieronymo*. Quod idem Iſ. XIII. 2. reprehendit Bootius (3). *Quippe*, inquit, *pro* ויבאו פתחי נדיבים *repoſuerunt* ἀνοίξατε οἱ ἄρχοντες, *quæ interpretatio & a ſenſu loci plane aliena eſt, & textui Hebræo aptari nullomodo poteſt, niſi & integra vox* ויבאו *ex eo deleatur*, & פתחי *in* פתחו *mutetur*. In quo eodem textu vertendo Syrus interpres, quod putaret forte id ſenſum requirere, affixum ſecundæ perſonæ ad arbitrium addidit: ܢܥܠܘܢ ܒܬܪ̈ܥܝܟܝܢ.
Et quoniam de adiectionibus ſermonem inſtituimus,

(3) Præf. ad Conjecturas Sagradas ſobre los Prophetas primores.
(5) Animadv. Sacr. ad Text. Heb. V. T. Lib. I. Cap. VI. §. 2.
(3) Ibid. Lib. I. Cap. VIII. §. 10.

Gen. IV. 8., ubi Hebraicus textus habet: ויאמר קין אל הבל אחיו ויהי בהיותם בשדה ויקם קין אל הבל *& dixit*, vel ut alii vertunt, *locutus est*, vel *colloquium tenuit Cain cum Abel fratre suo; accidit autem, quum ipsi essent in agro, surrexit Cain adversus Abel*, פסקא pausam, seu sensus intercisionem supplevere LXX. Interpretes, addideruntque διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον *egrediamur in agrum*; quod idem porro non Vulgata solum, sed ipse etiam Samaritanus excriptor fecit: ࠅࠉࠀࠌࠓ ࠒࠉࠍ ࠀࠋ ࠄࠁࠋ ࠀࠇࠉࠅ ࠍࠋࠊࠄ ࠄࠔࠃࠄ *dixitque Cain ad Abel fratrem suum, eamus in agrum.* Nec in hunc tantum locum, ubi quædam veluti extat elypsis, additamenta instituerunt LXX., sed & in alia sæpius bibliorum loca, quæ tum vetusti, tum recentiores critici solerter annotarunt. Hieronymus suis olim criminatoribus Psalmum XXI. obiiciebat, ubi LXX. primigeniis verbis intexuerunt: πρόσχες μοι. Item Ps. XXVI. 6. καὶ νῦν ἰδοὺ ὕψωσε κεφαλήν μου. Ps. XXX. 6. ὅτι σὺ εἶ ὁ ὑπερασπιστής μου κύριε. Ps. XLIV. 6. τὰ βέλη σου ἠκονημένα δυνατέ. Ps. XLVII. 5. ὅτι οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, ἰδοὺ, κύριε, δυνατὲ, τῆς γῆς omnia additia sunt, nec in fonte reperiuntur. Verum tot eiusmodi additiones comparantibus græcam versionem cum Hebraico textu, & tantæ occurrunt, ut eam, qualis hodie extat, Hebræos LXX. viros religiosissimos auctores nulla ratione habere facile crediderit Pagninus (1): *Nos summo studio*, inquit, *cu-*

(1) Cap. IX. Isagog.

ra, *& diligentia* LXX. *interpretationem cum Hebræo contulimus*, *& tot invenimus addita*, *demta*, *depravata*, *immutata*, *& ab hebraico prorſus aliena*, *ut mihi perſuadere nequeam*, *illam eſſe* LXX. *Interpretum*. Ante Pagninum vero Hieronymus (1): *longum eſt nunc revolvere*, *quanta ſeptuaginta de ſuo addiderint*, *quanta dimiſerint*, *quæ in exemplaribus Eccleſiæ obelis*, *aſteriſciſque diſtincta ſunt . . . . Quid faciemus ad authenticos libros*, *in quibus hæc non feruntur aſcripta*, *& cetera his ſimilia*, *quæ ſi proferre nitamur*, *infinitis libris opus eſt?* An forte novum eſt & nonnullis recentioribus præcipue interpretibus immutare pro arbitrio originalia verba, & dum textum emendare putant, mendoſa plane lectionem obtrudere? Ita ſuſpicatus eſt Piſcator II. Paral. XXVIII. 21. pro חלק legi debere לקח; qua de re graviter a Bootio reprehenditur (2), qui optime ei obiicit lectionem hanc eo loci ſtare nequaquam poſſe, & *accepit domum Domini* pro *accepit theſauros de domo Domini*, duriſſimum eſſe, atque inauditum locutionis genus. Immerito autem Bootius reiicit verſionem Græci, & Itali interpretis, quod putet hos verbi potius לקח, quam textualis חלק rationem habuiſſe. Quid enim ſignificat itala phraſis *prender d' una coſa*, niſi partem ipſius rei ſumere? Italus ergo interpres, ſeu Bruccioli, ut ipſe intelligere videtur (3), חלק, non לקח expreſſit, dum vertit:

(1) Ep. ad Pammach.
(2) Animad. S. Lib. IV. Cap. XII. §. 18.
(3) V. Indic. Auctor. Animadverſionibus præmiſſ. ad *Italica*.

prese del tesoro del tempio; idemque prorsus innuit, quod altera Diodati: *prese una parte de' tesori della casa del Signore*. Græci vero codices vertentes ἔλαβε τὰ ἐν οἴκῳ κυρίου verterunt non לקח, sed חלק *accepit aliqua, vel nonnulla in templo Domini*. Nam τὰ etiam indefinite verti posse luculentum habemus in Mathæo (1) testimonium, οἱ δὲ ἐδίστασαν *quidam autem dubitaverunt*, & Luciani exemplo, atque auctoritate Stockius (2) confirmat. Piscatori, ut eo redeamus, unde discessimus, & Tigurini accensendi sunt, qui futili ducti coniectura detrahentes *mem* pro לגוים Esaiæ V. 26. verterunt לגוי *Genti*; quibus opponuntur vetustissimi omnes interpretes, Græci ἐν τοῖς ἔθνεσι, Syrus ܠܥܡ̈ܡܐ, Chaldæus לעממיא. Atque liberiori huic, quod usurpant interdum translatores, interpretandi generi fere totum discrimen, quod versiones, & fontem intercedit, tribuebat Dupinius (3). „ Il faut avoüer, que souvent la difference qui se trouve entre la version, & l'original, „ & entre les versions mêmes, vient de ce, que „ les Interpretes ne se sont pas assujetis à suivre la „ lettre, & à traduir les mots à la rigueur, mais „ qu'ils se sont donnés la liberté de rendre le sens, „ qu'ils ont crû le plus veritable. Toute version est „ une espece de Paraphrase, & de commentaire, „ &

(1) Cap. XXVIII. 17.
(2) Clav. Ling. S. N. T. ad ὁς. Consule & Polum in cit. Mathæi loc.
(3) Dissert. Prelim. sur la Bible Lib. I. Chap. IV. §. 4.

„ & il eſt preſqu' impoſſible, que l' interprete, quel-
„ que fidele qu'il ſoit, ne prenne quelque fois l'eſſor
„ en s' écartant de la lettre de ſon original.

Sed etſi verſiones ſint a viris linguarum ſcientia clariſſimis, qui non hallucinentur, quique in interpretando liberiores non ſint, quam par eſt, qui tamen adhuc primigeniorum verborum vim, emphaſin, plures, quos fovent, ſenſus, & myſteria, ac peculiares demum modos, ſeu idiotiſmos valent nobis perfecte referre? Id univerſim quidem de omni interpretatione intelligi debet, in qua, quæcunque ea ſit, ſemper verum erit, quod nos docet Pater Lamy in ſuis Entretiens ſur les ſciences (1). „ C' eſt
„ toute autre choſe de voir ſoi même, & de voir
„ par les yeux d'autrui. La verité s' altere en s'eloi-
„ gnant de ſa ſource, & ſe gâte, pour ainſi dire,
„ en paſſant par tant des mains. Chaque langue a
„ un tour, qui lui eſt particulier, & qu'on ne peut
„ bien exprimer dans une autre langue. Ce qui
„ fait, que le plus belles verſions ſont toûjours im-
„ parfaites. Outre cela quoiqu'un auteur ſoit exact
„ & qu'il prenne ſoin de ne rien dire, qui ſoit équi-
„ voque, il lui echape toûjours quelque expreſſion
„ capable de pluſieurs ſens. Le traducteur ne s'ata-
„ che qu'à un ſens, il repreſente l'original par l'en-
„ droit, par lequel il l'a vû. Il explique comme il
„ l' a entendu. Ainſi il determine ce, qui n'eſt point

H

(1) Entret. I. p. 12.

„ determiné; de ſort qu'en liſant ſa verſion, on y „ voit ſes penſées plûtôt que celles de l'auteur. Il „ n'y a guere de traducteur qui conſerve entie- „ rement le ſens de l'original. Il le reſſerre, ou il „ l'étend . . . Tout cela rend les langues abſolu- „ ment neceſſaires à ceux qui aiment la verité. „ Lubet hæc, quæ poſuimus, doctiorum etiam Patrum graviſſima auctoritate firmare. *Habet*, inquit Auguſtinus (1), *omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ quum in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda*. Alibi vero (2). *Sunt quædam verba certarum linguarum, quæ in uſum alterius linguæ per interpretationem tranſire non poſſunt*. Omnium vero luculentiſſime id docet Hieronymus ad Pammachium de optimo agens interpretandi genere: *arduum* (eſt), *ut quæ in alia lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in translatione conſervent. Significatum eſt aliquid unius verbi proprietate: non habeo meum, quo id efferam, & dum quæro implere ſententiam, longo ambitu vix brevis viæ ſpatia conſumo. Accedunt hyperbatorum anfractus, diſſimilitudines caſuum, varietates figurarum, ipſum poſtremo ſuum, & ut ita dicam, vernaculum linguæ genus. Si ad verbum interpretor, abſurde reſonat. Si ob neceſſitatem aliquid in ordine, vel in ſermone mutavero, ab interpretis videbor officio receſſiſſe*. Jam vero ſi hæc de qualibet interpretatione vera ſunt, quid de iis interpretationibus dicemus, quæ ex Hebraico idio-

(1) Lib. de vera Relig. Cap. L.
(2) Lib. II. de Doct. Chr. Cap. XI.

mate fiunt peculiarium idiotiſmorum fœcundiſſimo? Quamobrem Jeſus junior filius Sirach, qui optimum Avi moralem librum ex Hebræo in Græcum tranſtulit, excuſat ſeſe, ſi translatitia eius oratio eundem cum primigeniis verbis leporem, vim, & emphaſin non ſervans legentium oculis valde ab Hebraico Textu deficere videatur. *Hortor itaque*, inquit (1), *venire vos cum benevolentia, & attentiori ſtudio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur, ſequentes imaginem ſapientiæ, deficere in verborum compoſitione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam.* Ambroſius ſuis in Pſalmos Enarrationibus (2): *ſenſus nobis ſpectandus eſt ſemper, quem etiam ipſum frequens tranſlatio ex hebræo in græcum, ex græco in latinum adtenuare conſuevit.* Hieronymus etiam occaſione græcæ vocis περιποιήσεως (3) multa adeſſe verba faſſus eſt, quæ nec de græco in latinum transferri valent, nec de hebraico in græcum. Quod idem Origenes eodem referente Hieronymo (4) arbitrabatur, non poſſe quædam verba hebraica eadem vi transferri, qua apud ſuos dicta ſunt, *& multo melius eſſe non interpretata ponere, quam vim eorum interpretatione tenuare.* Ex recentioribus vero translatoribus Judæis R. Moſceh Altaras in præfatione ad lib. De mante-

(1) In Prolog. ad Eccli.
(2) Enar. in Pſ. 37. Tom. I. Oper. pag. 837.
(3) Epheſ. I. 14. p. 333. T. IV.
(4) Epiſt. ad Marcel. de quibuſd. Nomin. Heb. int. Ep. Crit. pag. 705. Tom. II. Oper.

nimiento de la alma, quem ex Hebræo in Hiſpanicum tranſtulit, *aun que pareſſe*, inquit, *que toda hobra traduzida pierde la gravedad y gracia que en ſu original tenia, tanto mas en la Hebrea*. Atque quum id nequeant interpretes in quovis ſcripto Hebraica lingua exarato, facile ne id poterunt in ſacro textu, cui plures adhuc ſenſus, & maiora Deus myſteria indidit? Nam pulcherrime aiunt Hebræi non eſſe in lege אפילו אות אחת שאין הררים גדולים תלוים בה vel unam litteram, a qua montes magni non pendeant; quod & D. Bernardus confirmat (1). *Ego ut verum fatear, jam olim mihi perſuaſi in ſacri precioſique eloquii textu nec modicam vacare particulam.* Hieronymus vero Lib. I. adv. Jovin. (2). *Et eſt in verbis ſimplicibus ſemper divinarum ſcripturarum ſenſus auguſtior.* Epiſ. XXII. ad Paulam (3): *nequeo ſatis ſcripturæ laudare myſteria, & divinum ſenſum in verbis licet ſimplicibus admirari.* Immo ad Pammachium ſcribens & ipſum in ſcripturis verborum ordinem myſterium eſſe aſſerere non dubitat. Quam ergo Hebraicæ Bibliorum dictiones ſive vim, ſive plures ſenſus, & myſteria fovent, non undique interpretes, ac perfecte reſerare nobis potuerunt.

Hoc eodem argumento ad oſtendendam Hebraici textus præ verſionibus dignitatem, atque emolumentum utebatur olim R. Joſeph Caſpi in ſuo של״חן

(1) Serm. LXXII. in Cant. Tom. III. Oper. p. 117.
(2) Tom. IV. Oper. Nov. Ed. p. 164.
(3) Tom. IV. p. 57.

הכסף Sculchan Acheseph, quod rarissimum MS. ab iis, qui Hebraicas Bibliothecas consuerunt (1), non memoratum in celebri hac nostra Taurinensi Bibliotheca custoditur (2). Optimum argumentum a nemine Judæorum pertractatum, nec eruditis adhuc detectum juvat illis pandere ipsis Auctoris verbis, quibus suum Sculchan auspicatur, & pretiosi simul MS. quoddam veluti specimen aptissimo hoc loco exhibere. אמר יוסף אבן כספי הכוונה בזה הספר לבאר דרוש אחד והוא מה יתכונן תורתינו ויתר ספרי המקרא מצד סדור הלשון וסדור המכתב רצוני הלשון העברי וסדר הכתיבה שבו נסדרו ונעשו על המועתק מלשונינו אל לשון אחרת עד שיתבאר שמזה הצד יש יתרון גדול להבנת הענינים במליצות ההם על הבנת זולתנו מיתר האומות שמעיינים באלו הספרים במועתק אל לשון אחרת אם הנצרים והישמעלים או אולתם ואני קראתי זה הספר ש״לחן ה״כסף „ Dixit Joseph
„ Aben Caspi. Intentio in hoc libro est dilucidare
„ quæstionem unam: & hæc est, quid confirmet,
„ vel stabiliat legem nostram, & reliquos libros
„ scripturæ ex parte dispositionis linguæ, & dispositionis
„ tionis scripturæ, idest linguæ Hebraicæ, & ordi-

(1) Scilicet Buxtorfio, Hottingero, Plantavitio, atque a recentiore Wolfio in T.I. & III. Eius autem argumentum memorare videtur Wolfius T.IV. p. 855. ex notitia, quam accepit ex Abbate Bencini, ut ipse in Præf. ad eund. Tom. IV. testatur. Hallucinantur tamen utrique, dum agere Caspi asserunt de Heb. ling. excellentia.

(2) V. Catal. MSS. Taurin. Cod. XCVII. A. II. 22. fol. codicis 165. Argum. hoc de maj. dignit., & emol. Hebr. fontium præ versionib. agit Caspi tota Par. I. Sculchan a fol. 165. usq. ad 178., ubi alteram probandi scilicet Prophetæ quæstionem ingreditur.

„ nis ſcriptionis, quo diſpoſiti ſunt, & facti præ ulla
„ verſione, quæ fiat ex lingua noſtra in aliam linguam;
„ donec illuſtretur, vel explicetur, quod ex hac parte
„ eſt emolumentum maximum ad intelligentiam ſen-
„ ſuum, vel rerum in ea forma orationis præ intelli-
„ gentia, quæ extra illam conſequi poteſt, ex reli-
„ quis gentibus, quæ ſtudent, vel perſcrutantur in
„ iſtis libris verſis in aliam linguam, ſive Chriſtiani
„ ſint, & Turcæ, ſive conſimiles ſtulti. Et ego vo-
„ cavi hunc librum Sculchan Acheſeph, ſeu Menſam
„ argenteam. „ Paullo dein inferius exponit occa-
ſionem, quæ eum ad opuſculum hoc ſuſcipiendum
adegit. אמר פעם אחת שאלני הגמון נכבד מארצינו
והיה בקי בספרי המקרא מדוע תבקשו אתם מן המלכים
והפיפיורים וההגמונים שיעשו כבוד והידור לספר תורת
משה בהוצאכם אותו לפניהם בהכנס בעיר כאשר נוציא
גם אנחנו להם צלמינו ומאיזה טעם מחוייבים אנו
לעשות כבוד לספר תורת משה שבידכם ובאמת מורים
אנחנו על היות חיוב לנו כלנו לעשות כבוד והדור
לספר תורת משה ואחריה לכל ספר המקרא שחברו
הנביאים הנמשכים אחר תורת משה אבל זאת התורה
וכלה המקרא הנה אתנו היא כמו אתכם ואם מלכינו
וגדולינו חפצים שיוצא להם ספר תורת משה או המקרא
כלה אנחנו נוציאם כי הספרים ההם לנו הם כמוכם
האם בהיות ספרי תורת משה כתובים בלשון ובכתב
עברי יש להם יתרון קדושה ומעלה על ספרינו ממנה
עצמה הכתובים בלשון רומי ובכתב רומי אחד בכל
אחד׃ „ Dixit: una vice interrogavit me Epiſcopus

„ clariſſimus ex terra noſtra, qui erat exercitatus in
„ libris ſcripturæ: quare exquiritis vos a Regibus,
„ & Pontificibus, & Epiſcopis, ut glorificent, &
„ honorem tribuant libro legis Moſaicæ, quum vos
„ producitis illum ante eos, dum in urbem conve-
„ niunt, ut educimus etiam nos illis noſtra exem-
„ plaria? Ecqua ratione tenemur nos honorificare,
„ vel æſtimare librum legis Moſaicæ, qui eſt in ma-
„ nibus veſtris, aut unde ſane edocemur nos onus
„ nobis incumbere deferendi honorem, & gloriam
„ libro legis Moſis, & poſt hanc omni libro ſcrip-
„ turæ, quem compoſuerunt prophetæ ſequentes le-
„ gem Moſaicam? Sed lex iſta, & tota ſcriptura
„ ecce nobiſcum eſt, ut vobiſcum, & ſi Reges no-
„ ſtri, & Magnates noſtri volunt, ut educatur ipſis
„ liber legis Moſaicæ, aut univerſa ſcriptura, nos
„ ea educemus; quia libros illos habemus nos, ut
„ vos habetis. Num forte, quia ſunt libri legis Mo-
„ ſaicæ ſcripti lingua, & ſcriptura Hebraica, eſt ip-
„ ſis aliquod emolumentum, vel utilitas, aliqua ſan-
„ ctitas, & excellentia præ libris noſtris ex ipſa ea-
„ dem ſcriptis lingua Romana, & Romana, vel la-
„ tina ſcriptura, unoquoque ipſorum?„

Ita ſentiebat, ſi Joſepho Caſpi credimus, Anonimus ille Epiſcopus, ut noſtri homines ſentiunt, nullum verſiones inter, & Hebraicum fontem diſcrimen intereſſe, nec maiorem ullam fonti præ verſionibus dignitatem, aut ad rerum intellectum utilitatem ſu-

peresse, adversus quem demonstrare conatur Caspi ex parte etiam mutationis idiomatis, quo sacer quondam codex scriptus est, translationes deficere, nec apte satis Hebraicorum verborum vim, & sensum exprimere potuisse, Vulgatam nostram in exemplum assumens. לכן אבאר עתה איך הספרים המועתקים מספר חסרו הכונה והשלמות מספרינו מצד שנוי הלשון ומצד שנוי סידור הכתוב ואזכר מזה משל אחד או שנים לבד׃ אמר תחלת התורה בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ הנה המתרגם לנוצרים העתיק אנפרסיפיאו קריאוט (1) דיאוש צילום אית טראם התחשוב כי הוראה אלו המלות החמשה איש איש על עבורתו כהוראת השמות שלנו אשר מסרם האל ית׳ למשה עבדו אבל לא כן. *Idcirco explicabo nunc, quomodo libri versi ex libro deficiunt intentione, & perfectione præ libris nostris ex parte mutationis linguæ, & ex parte mutationis dispositionis scripturæ, & commemorabo de hoc exemplum unum, aut duo tantum. Dixit: initium legis est:* Bereschith barà Elohim ed hascamaim, veed haaretz. *Ecce interpres christianorum vertit:* In prisipio creavit Deus tzelum, & terram. *Putasne significatum horum verborum, unumquodque per se, esse, sicut est significatus nominum, quæ nos habemus, quæ tradidit Deus benedictus Mosi servo suo? Verum non est sic.* Atque omissis, quæ fusa ipse oratione disserit de prima voce Berescith, quod nomen משותף *æquivocum* esse putat, de verbo Barà sentit Caspi הוא בעברי שם כולל ענינים׃

(1) Mendose in textu esse videtur קריאוש *creausc*.

ענינים comprehendere in Hebræo plures ſignificatus, hacque dictione intendi juxta eius ſententiam יצירת הדבר יצירה שלמה לא יצירה לבד formationem rei formatione perfecta, non formatione tantum. ואין ספק כי הבדל גדול יש בין עשה בין יצר או ברא כי עשה לבדו נופל בכמה מקומות על המצאת החובר או הצורה חסר או יצר נופל על המצאת הצורה ועדין יתבן היות החומר או הצורה חסר אבל ברא נופל על המצאת הנושה עם חומר וצורה ובתכלית השלימות ואין קריאוט כן : *Nec enim dubium eſt*, ſubdit, *quod diſcrimen maximum eſt inter* Haſcàh, *inter* Jatzar, *aut* Barà, *quia Haſcàh ex ſeipſo tantum cadit in multis locis ſuper exiſtentia materiæ, aut formæ imperfectæ. Aut Jatzar cadit ſuper exiſtentia formæ. Et hactenus intelligetur eſſe materiam, aut formam imperfectam; ſed Barà cadit ſuper exiſtentia accepta cum forma, & materia, & cum proprietate perfectionis. Non eſt autem* creavit *eiuſmodi.* Sane Hieronymus ab Oleaſtro (1), aliique noſtrorum interpretum jam dudum obſervarunt, ſimplicem, non perfectam, aut ex nihilo productionem frequentius, ſi ipſis credimus, hoc verbum denotare; quod allatis Tullii teſtimoniis confirmant. Quamobrem ad vocem *creavit* aſſerere non dubitavit Ludovicus Yſtella (2): *apud latinos non Theologos creandi verbum pro eo, quod eſt quocumque modo producere, ſemper fuit in uſu.* Verum etſi hoc loco, quod nobis

I

(1) Comm. in Pentat ad h. l.
(2) Comm. in Sacr. Geneſ. in h. l.

probabilius videtur, aptiſſime Interpres noſter hebraici verbi Barà vim omnem expreſſerit, non ita tamen de LXX. Interpretibus dicendum puto, qui non ἔκτισε verterunt, ſed ἐποίησε *fecit* contra vim hebraicæ vocis, ut olim a Procopio etiam animadverſum eſt. Nam præterquamquod Haſcàh, ſeu ἐποίησε creaturis etiam competit, Barà vero ſoli Deo, innuere ſic viſi ſunt univerſum hunc non ex nihilo, ſed ex præextante quadam materia conditum a Deo fuiſſe; unde Baſilius, & nonnulli Græci, ut Simonius notat (1), mundum alium inviſibilem huic noſtro præexiſtentem oſtendebant.

Veroſimilius, quod docet Caſpi de tertia voce Elohim הוא גם בעברי כולל כמה הוראות ipſam etiam hebraice plures ſignificatus comprehendere, atque aliquid magis ſignificare, quam latinum vocabulum *Deus*, pluribus noſtris interpretibus, & Theologis viſum eſt ex ea divinarum perſonarum pluralitem adverſus Judæos ipſos arguentibus, quod ex noſtra quavis verſione non poterant. Quapropter hebraica verba *Barà Elohim* ſtricte ſonare cenſuerunt *creavit Dii*, quod quum de Deorum copia, cui obſtat ſingulare *Barà*, intelligi nulla ratione queat, de pluribus hypoſtaſibus videtur neceſſario intelligendum. Utut tamen infirmum hoc nonnulli exiſtimarint, qui obiecerunt pluralem formam nominis Elohim non ullum myſterium, ſed peculiarem idio-

(1) Hiſt. Crit. V. T. Lib. I. Cap. V.

tismum fovere, illud jugiter verum erit, peculiarem hunc idiotismum translationes nostras non referre. In ceteris vero scripturarum locis nomine Elohim non Deus solum, sed & judices, principes, primates designantur. An adeo difficile est unum pro altero in versionibus obtrudi? Equidem, ubi translatio nostra legit filios Dei vidisse filias hominum, quod essent pulchræ, sunt, qui ibi Elohim non Deum, sed Principes significare contendant, atque apposite admodum, ut ipsis videtur, de filiis principum, & filiabus hominum vulgarium interpretentur. Huius sententiæ est clarissimus Maimonides, qui, postquam statuit אדם non homines tantum, sed vulgum insuper, homines idiotas, & plebem vi sua innuere, in exemplum, atque eius, quod dixerat, illustrationem commemoratum scripturæ locum assumpsit (1). Ut autem ab Elohim ad cetera divina nomina transeamus, illud certum est variis, quæ in scriptura efferuntur, Dei adpellationibus El, Jeoàh, Elohim, Scadai, Adonai, Tzur &c. varia Dei ipsius attributa, & adfectiones denotari, unde eius natura colligitur. Atqui tamen interpretes plerumque vertunt ubique *Deus*, aut *Dominus*. Annon aliquid excellentius se præstitisse Mosi demonstrat Deus, dum ait se ei revelare nomen suum Jeoàh, quod prioribus Patribus non indicaverat? Audi, si lubet, commem. Maimonidem (2): כל שמותיו יתעלה הנמצאים

(1) In Morè Nevoch. Lib. I. p. 18. Buxtorf. versionis.
(2) In cit. Morè N. V. Voisin. Theol. Judæor. Cap. V.

בספרים כולם נגזרים מן הפעולות וזה מה שאין העלם בו אלא שם אחד והוא יוד הא ואו הא שהוא שכם מיוחד לו יתעלה ולזה נקרא שם המפורש עניינו שהוא יורה על עצמו יתעלה הוראה מבוארת אין השתתפות בו *Cuncta nomina Dei excelsi, quæ reperiuntur in libris, singula derivantur ab eius actionibus, vel operibus ad extra, seu ab eo, quod non est in eo absconditum, sed nomen unum, scilicet Jod He Vau He* (Jeoàh) *est nomen proprium, vel unicum ipsius Dei excelsi significatione clara citra ullam ambiguitatem.* Non Hebræi solum maius mysterium, maioremque virtutem Tetragrammato huic nomini attribuerunt, quod non audent propriis eius vocalibus pronunciare, sed christiani etiam illud ineffabile plane jugiter habuerunt, שם המפורש Nomen expansum, Nomen Dei prorsus peculiare, eiusque naturam, seu constitutivum, ut scholastico vocabulo utar, expressius evolvens; quippe quod emanat a rad. היה Hajàh, quæ significat esse, & singula quoque tempora complecti videtur. Unde tamen ex versionibus dignoscimus, ubi voluerit Deus usurpari nomen Jeoàh sibi proprium, vel Jah, aut alterum Adonai, quum unius Domini nomine, & sensu singula plerique saltem (1) interpretes transtulerint? Mul-

(1) Nam & nonnulli reperiuntur, qui, quod multum hoc interesse arbitrarentur, nomen hoc in suis translationibus immutatum servarunt. Ita præter Pagninum, & aliquos recentiores Franciscus Forerius retinuit jugiter Jeoàh, suique consilii hanc eandem in Præf. ad Comm. If. attulit rationem. *Nam cum nomen id* (Jeoàh) *nulli creato convenire possit, non parvi momenti rem esse judicavi, si lector intelligeret, ubi id nomen esset.*

tum autem intereſt ſcire, num habeatur Jeoàh, aut Adonai; & Theologi, qui advertunt Hierem. XXIII. 5. Meſſiam in textu Hebraico vocari nomine non Adonai, ſed Jeoàh, urgent Hebræos ad agnoſcendam Meſſiæ divinitatem, quod tamen ex noſtris translationibus non obtinent. Quid vero, ubi utrumque in textu occurrat & Jeoàh, & Adonai? Coguntur interpretes aut utrumque vertere, ut diximus, vocabulo Domini, aut, ſi nolunt geminare, alterum reticere, quod Vulgatus noſter interpres fecit Iſai LX. 4. Nam אדני יהוה נתן לי לשון למודים *Adonai Jeoàh dedit mihi linguam eruditorum* vertit ille *Dominus dedit mihi linguam eruditam*. Verſiculis autem 5. & 7., ubi rurſus reperitur utrumque Adonai Jeoàh, tranſtulit *Dominus Deus*, ac ſi extaret in textu Adonai Elohim. Item Deut. XXXII. 30. Moſes poſt memorata Dei erga populum Iſrael beneficia ſubdit (v. 15.) incraſſatum eſſe dilectum, & turpitudine affeciſſe צור ישעתו Tzur rupem, & fontem ſalutis ſuæ. Enumerans autem mala ingrato populo obventura: quomodo, inquit, perſequetur unus mille, & duo fugabunt myriadem, niſi quia צורם מכרם Tzuram *rupes eorum*, eorum Petra, qui antea erat eorum firmamentum, fortitudo, & propugnaculum *vendidit eos*? Scilicet hoc nomine Tzur innuere Moſes voluit, ut ipſi impinguati eum Deum dereliquerant, qui tot ei beneficia præſtiterat, ſic hunc eundem Deum eorum rupem eos inimicis ſuis

tradıturum. Vulgatæ tamen Auctor vocabulum Tzur vertit utrobique unius Dei nomine, & significatu.

Jamvero si de allusionibus, & analogiis hebraicarum vocum in sacro codice extantium loquimur, unde scis, quia Eva possederit filium a Deo, appellasse ipsam eum קין *Cain*, ni simul intelligas קין a rad. קון possessionem innuere, & legas in Hebraico textu כי קניתי אותו *chì chanìdi odò?* Aut vidisse Jeremiam Amygdalam, quod vigilaturus esset Deus super verbis suis, ni analogiam legas in eodem textu, quæ est inter שקד *Scacbèd*, & שוקד *Scocbèd?* Quod si quispiam est, qui id velit in versione exprimere, ut fecit Hieronymus, quid quæso nomine virgæ vigilantis intelligis, quod ille usurpat? Et Adam de recens efformata muliere vocabitur, inquit אשה Iscàh, quia ab איש sumta est; quod frustra item Hieronymus significantiori viraginis vocabulo, aut alii barbara plane viræ, & latinis inaudita voce exprimere conati sunt (1). Atque hinc duo ad rem nostram ex hoc interpretum conatu deduci queunt; primum multum referre allusiones has, atque analogias intelligere, quas Deus, sacrique Auctores consulto adhibuerunt. Alterum vero non sat commode ab interpretibus servari eas in eorum translationibus potuisse.

Quandoquidem autem plures extant ex Hebræo codice elaboratæ translationes, & sæpe etiam inter

(1) Vide Drus. Quæs. Heb. Lib. I. Qu. 19. p. 16.

ſe, ſive ob ſenſuum copiam, quos fovent hebraica verba, ſive ob varium interpretum intellectum, valde diſſentiunt, cui jam te committes; aut quam putabis melius auctoris mentem referre? Quod porro de ipſis præcipue vetuſtiſſimis, quæque maiorem auctoritatem, & uſum obtinent, verſionibus verum eſt, quippequæ ex hebraicis non punctatis codicibus factæ ſunt varios ſic ſenſus admittentibus. Etenim, ut præclare inquit R. Bechai (1), האותיות כשאינן מנוקדות סובלות כמה כונות ומתחלקות לכמה ניצוצות *literæ, quando non ſunt punctatæ, ſuſcipiunt multas intentiones, vel ſenſus, & in multas dividuntur ſcintillas.* Nec ſolum verſiones, ſed ipſa eadem unius, eiuſdemque verſionis exemplaria ſæpe variant, ut, quænam ſit vera lectio, certo ſtatui nulla ratione queat, ni ad fontem confugiamus. Cuius rei exemplum attulit Bellarminus (2) in latinis noſtris codicibus luculentiſſimum. Joſue V. 6. plurimi codices Bellarmini ætate habebant: *quibus juravit, ut oſtenderet eis terram fluentem lacte, & melle.* Alii vero: *ut non oſtenderet.* Hanc poſteriorem lectionem tum commemoratum Cardinalis, tum correctores Sixtini, & Clementini veriorem eſſe, & retinendam cenſuerunt, propterea quod Hebraico textui ſit conſentanea. Atque ex hac interpretum varietate, & diſſidio Heb. linguæ neceſſitatem, & neceſſariam Hebraicorum fon-

(1) In Lib. Num. II. 15. pag. 162. apud Hott. Theſ. Phil. Lib. I. C. II. Sect. 7. p. 237.

(2) Lib. II. de verbo Dei Cap. XI.

tium inſpectionem Auguſtinus ipſe oſtendebat (1). *Quæ ſit*, inquit, *ipſa ſententia, quam plures interpretes pro ſua quiſque facultate, atque judicio conantur eloqui, non apparet, niſi in ea lingua inſpiciatur, quam interpretantur.*

Quid præterea, ſi errata, quod ſæpe fit, ſive typographorum inſcitia, & incuria, ſive ſciolorum audacia in verſiones irrepant? Unde ſcis, niſi ex Hebraico textu, in LXX. ὀδὸς I. Sam. XIV. 5. irrepſiſſe pro ὀδοὺς, τραφεὶς pro ταφεὶς Gen. XV. 15., οἰκίας pro κοιλίας Judic. XX. 15., δέκα ἀμνῶν pro δέκα μνῶν Gen. XXXI. 7., & alia eiuſmodi? Unde in Vulgatam *malitia* pro *militia* Iſai. XL. 2., *eques* pro *equus* Exod. XV. 19., *ortu* pro *horto* Job. VIII. 16., *viduam* pro *victum* Pſ. CXXXI. 15., *Jeruſalem* pro *Iſrael* Jerem. XXXIII. 7., *novi* pro *novæ* Thren. III. 23., *quadraginta quinque* pro *quinque* Gen. XVIII. 28., & ſimilia, quæ fortuito acciderunt? Nec niſi ex Hebraici textus conſultatione deprehenderunt Hieronymus ab Oleaſtro, Bellarminus, aliique irrepſiſſe olim in latinam translationem *ſeculi* pro *ſiculi* Prov. XVI. 11., *fontem* pro *fortem* Pſ. XXVI., & XLI., *exultationes* pro *exaltationes* Pſ. CXLIX., aut *pax illius* pro *paxillus* I. Eſdræ IX., atque alia bene multa, quæ ex ipſo primigenio textu dein emendata fuere. Porro hoc idem dicendum eſt de iis erratis, quæ in verſionibus extant ex una quorundam ſciolorum audacia, qui putantes textum emendare

(1) Lib. II. de Doct. Chr.

emendare turpi eum hallucinatione corruperunt. Ita ſciolus quidam audax ex Act. VII. 14., ubi ait Stephanus animas ingreſſas in Ægyptum fuiſſe ſeptuaginta quinque, Græcum V. T. textum Gen. XLVI. 27., ubi ſeptuaginta tantum, ut in Hebræo, ceteriſque translationibus, legebatur, emendandum ſuſcepit, correxitque πάσαι ψυχαὶ . . . . ἑβδομȣκόντα πέντε. Ut autem id ex præcedentibus verſiculis, ubi univerſæ illæ animæ ſigillatim enumerantur, robur omne ſuſciperet, adhuc audacior factus quinque animas, quæ eo judice deeſſe videbantur, ſacro textui inſeruit: ἐγένοντο δὲ υἱοὶ μανασσῆ ȣ̔ς ἔτεκεν αὐτῷ ἡ παλλακὴ ἡ σύρα, τὸν μαχείρ. μαχεὶρ δὲ ἐγέννησε τὸν γαλαάδ. υἱοὶ δὲ ἐφραὶμ ἀδελφȣ̃ μανασσῆ, σȣταλαὰμ, καὶ ταάμ. υἱοὶ δὲ σȣταλαὰμ ἐδὲμ.

Itaque quamquam optimæ extant in Hebraico textu verſiones, quæ plerumque, atque in rebus præcipue maioris momenti cum eodem textu cohærent, tamen, ut ſingula hucuſque conſtituta demonſtrare videntur, eiuſmodi non ſunt, nec tanta ſive interpretis primum induſtria, ac doctrina elaboratæ, ſive typographorum ſolertia cuſtoditæ, ut a quovis mendo immunes perfecte prorſus in omnibus ſuum fontem referre queant. Quod ab hominibus, non Prophetis prodierint, interdum a fonte aberrant. Aut nimis verbis inhærent, & ſunt obſcuriſſimæ; aut verba negligentes referendis ſententiis vacant, & ſunt liberiores. Addunt, & detrahunt, ut earum auctoribus viſum eſt. Primigeniarum dictionum vim,

& emphasim, idiotismos sacri textus, allusiones, plures sensus, quæque fovet, mysteria plene non exprimunt. Multæ sunt, & sæpe inter se dissident. Typographorum demum, aut sciolorum vitio plerumque fædantur. Quæ quo veriora sunt, eo luculentius postulant, & evincunt nostra studia in consulendo Hebraico textu, addiscendaque lingua Sancta impendi necessario oportere. Ubi enim errant, quacunque id caussa fiat, unde erunt, nisi ad Hebraicum textum corrigendæ? Unde illustrandæ, ubi obscuriores, aut componendæ, ubi liberiores occurrunt? Ponamus vero nonnullas versiones perfecte cum Hebraico codice congruere, tum primum hæc puritas, & perfecta cum fonte congruentia nec dignosci, nec demonstrari ulla ratione posset, ni fons consuleretur, & solerter cum eo controversæ interpretationes compararentur. Nam veterum, qui translati sunt, librorum fides, de Hebræis voluminibus examinanda est, si Augustino, si Hieronymo, si Gratiano credimus (1). Tum vero non negligendus Hebraicus textus, ubi ipsa eadem Dei, & Prophetarum verba non translata custodiuntur, sed omni adhuc a nobis contentione, ac studio excolendus esset. Sed claudam jam orationem iis verbis, quæ præclare ad rem nostram Lib. III. De absoluta Col-

(1) Decret. Grat. Dist. IX. Can. VI. *ut veterum* ex ep. Hier. ad Lucin. De Glossa in hunc Can., quæ Hebraicor. codicum integritati in eo explicando detrahit, consule Erasmum Lib. IV. epistolar. ep. 7. ad Christoph. Fischer.

legii Ambrosiani in litteris Institutione scripta reliquit doctissimus Ecclesiæ Princeps Card. Fridericus Borromæus: *In magno*, inquit, *errore versantur ii, qui solis versionibus nos posse linguarum necessitati satisfacere arbitrantur.*

CAP. IV.

Potissimum ob Vulg. lat. translationem, quam, dum Tridentini Patres authenticam, & retinendam definiere, non solum ceteris versionibus, sed & ipsis Hebraicis codic. usum, auctoritatem, & fidem ademerunt; tum vero & immunem ab omni mendo declararunt, ut nullus propterea in ea fontium usus hoc tempore esse queat.

Non hoc vehementer interest eorum, qui suam in Hebraicarum litterarum neglectu caussam tuendam ex fontium oppugnatione superioribus capitibus susceperunt, solerter nunc inquirere, num in reliquis latinis præcipue translationibus quispiam Hebraicorum codicum usus esse queat. Nam nullam illæ universalis Ecclesiæ adprobationem obtinuere, aut peculiarem auctoritatem. Verum quum de Vulgata interpretatione sermo instituitur, quam Tridentini Patres authenticam, & in omnibus retinendam definierunt, negant ad Hebræos codices exigi eam post Concilii tempora aut posse, aut oportere. Pa-

tres lato decreto omnem illis auctoritatem, & fidem, & usum ademerunt, & dum unam Vulgatam probant, & sequendam decernunt, quævis alia biblia reprobant, & deserenda præscribunt; ut iniuria prorsus Hebraici libri, quamvis integerrimi, authentici in Ecclesia modo habeantur. Ecqui adhuc fingi potest post Tridentinam Synodum eorum in Vulgata usus? Num ut huius menda corrigantur? Atqui Patrum sententia ab omni errore immunis declarata est, quod ipsum authentiæ nomen, & dignitas postulat. Quæ ni singula hoc loco tum Doctorum auctoritate, tum ratione, & exemplis falsitatis arguamus, frustra sanctarum litterarum usum ad illustrandam ex Hebræo fonte versionum lectionem defendere videremur. Etenim, ut præclare Simonius ait de iis, qui existimant „ qu' il n' y a point d' autre „ Bible authentique dans l' Eglise que l' ancienne „ edition latine, qui a été declaré telle par le Concile „ de Trente „ *sur ce prejugé ils regardent l'Hebreu & le Grec comme des meubles inutiles qui ne conviennent qu'à des grammairiens* (1). Non rectius porro usum Hebraicorum codicum non esse Patrum sententia sublatum demonstrari puto, quam ex eorum Theologorum testimonio, & declaratione, qui Æcumenicæ Synodo Tridenti habitæ interfuerunt. Alphonsus Salmero Paulli III., Julii III., & Pii IV. in eadem Synodo Theologus „ Jam secundo loco, inquit (2), ostendamus

(1) Tom. II. Epist. Sel. ep. 5. p. 33.
(2) Prolegom. Biblic. Proleg. III. p. 24.

„ non ita fuiſſe Vulgatam Hieronymi editionem
„ approbatam, ut propterea reiecta ſint intelligen-
„ da vel Græca, vel Hebraica volumina: quod
„ non eſt difficile oſtendere. Nihil enim ibi de
„ exemplaribus aut Græcis, aut Hebræis agebatur;
„ tantum inter tot editiones latinas, quot noſtra ſe-
„ cula parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſer-
„ mo erat: & reiectis reliquis latinis unam hanc
„ Vulgatam reliquis tanquam veriorem, puriorem,
„ dilucidiorem, ac ſuis fontibus, unde orta erat,
„ magis conſentientem pronuntiavit . . . Liberum
„ autem reliquit omnibus, qui ſcripturas profundius
„ meditantur, fontes Græcos, aut Hebræos, qua-
„ tenus opus ſit, conſulere, quo noſtram vitio li-
„ brariorum, vel temporum iniuria corruptam emen-
„ dare valeant . . . . Licebit nobis ſalva Concilii
„ Tridentini generalis auctoritate, ſive Græci, ſive
„ Hebræi exemplaris lectionem variam producere,
„ eamque uti verum bibliorum textum expendere,
„ & enarrare; nec tantum bonos mores per eam
„ ædificare; verumetiam fidei dogmata comproba-
„ re, & ſtabilire; atque adeo ab illa ſumere efficax
„ argumentum, tanquam ex textu Spiritus Sancti. „
Item Andreas Vega, qui interfuit & ipſe concilio,
„ Nec tu, inquit (1), nec quiſpiam alius, propter
„ hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur,
„ quominus ubi hæſitaverit, ad fontes recurrat, &

(1) De Juſt. Lib. XV. Cap. XVI.

„ in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo
„ juventur, & locupletentur latini, & Vulgatam
„ editionem ab erroribus repurgent, & quæ ſenſui
„ ſanctorum, & ipſis fontibus ſunt magis conſenta-
„ nea, aſſequantur. „ Quibus quidem teſtimoniis
quid luculentius eſſe poteſt, quo conſtet Tridentino
canone nulla ratione eam fidem, auctoritatem, di-
gnitatemque læſam fuiſſe, quam Hebraici codices
ab univerſa antiquitate obtinuerant? Non longe poſt
Tridentinum Concilium doctiſſimus Cardinalis Bel-
larminus idem adverſus Calvinum propugnabat, &
putidum tantum eius mendacium vocat (1): „ de-
„ creviſſe Tridentinos Patres, minime eſſe audien-
„ dos eos, qui ex fonte ipſo purum liquorem pro-
„ ferunt, & ex certa veritate falſum coarguunt.
„ Hoc ideo mendacium voco, quod nihil eiuſmo-
„ di in decreto Concilii legatur. Nec enim Patres
„ ullam fontium mentionem fecerunt, ſed ſolum
„ ex tot latinis verſionibus, quæ circumferuntur,
„ unam delegerunt, quam ceteris anteponerent. „ In-
ferius vero (2) quatuor temporibus aſſerit Princeps
Eminentiſſimus adhuc poſt Tridentini Concilii de-
clarationem licere ad Hebræum fontem recurrere.
1. Quum in noſtris codicibus videtur eſſe error li-
brariorum. 2. Quum latini codices variant, ut non
poſſit certo ſtatui, quæ nam ſit vera Vulgatæ lectio.
3. Quando verba, aut ſententia in latino idiomate

(1) Lib. II. De verbo Dei Cap. X.
(2) Ibidem Cap. XI.

eſt anceps. Poſtremo vero ad energiam, & proprietatem vocabulorum intelligendam. Sequitur Serarius, qui tuetur & ipſe (1) Synodum non antetuliſſe Hebræis fontibus latinam noſtram translationem, & Adamus Contzen (2) libere adfirmans *verſionem latinam ita probatam, ut tamen Græcis, & Hebræis fontibus maneat ſua auctoritas.* Ita Tridentinorum Patrum mentem, & canonem plures, iique doctiores eius ſeculi, & poſterioris etiam Theologi, & Interpretes exponunt. Conſule Pallavic. Hiſtoria Concil. Trid. Lib. VI. Cap. XVII., Bonfrer. Præloq. in Script. Cap. XV. Sect. 3., Andrad. Defenſ. Concil. Trid. p. 363., Ribera ad Cap. IX. Oſe., ex recentioribus Muiſium De Heb. edit. veritate, Natal. Alex. Hiſtor. Eccleſ. ſec. IV. Diſſ. XXXIX. & XL. adverſ. Fraſſen., Witaſſe Tractat. Theol. Qu. I. Art. V. Quær. 16., Simonium Hiſt. Crit. V. T. Lib. II. Cap. XIV., Dupin Diſſ. Preliminaire ſur la Bible Liv. I. Chap. VII. §. 3., Guarin. Præf. ad Gram. Heb. Ch. §. 2. ad III. arg.

Et quin id monuiſſent viri clariſſimi, facillimum cuique noſtrum eſt hanc Patrum mentem ex ipſis eorum verbis eruere. *Inſuper*, inquiunt (3), *eadem ſacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro au-*

(1) Proleg. Bibl. Cap. XIX. Qu. 12. Concl. 1.
(2) Politic. Lib. III. Cap. XXIII.
(3) Seſſ. IV. De Canon. Script.

thentica habenda ſit , innoteſcat , ſtatuit , & declarat , ut hæc vetus , & vulgata editio , quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt . . . pro authentica habeatur , & ut nemo illam reiicere quovis prætextu audeat, vel præſumat . Quis non videt ceteris ſolum latinis editionibus Vulgatam anteponi , ſuam autem fontibus dignitatem , qualem antea habebant , auctoritatem, & uſum relinqui ? Quæ autem erat antea apud Patres , & univerſam Eccleſiam Hebraicorum codicum auctoritas , & uſus ? Ut primum Eccleſiæ Deus non ullam verſionem tradidit, ſed ipſum Hebraicum textum , ſic illa ſingulari jugiter ſtudio concreditum ſibi depoſitum cuſtodiens nunquam debita eum fide, & honore fraudavit. Eo Chriſtus, Apoſtoli, & apoſtolici quique , qui præcipue ex hebraiſmo venerant , Patres utebantur. Ut vero Græca LXX. , aut Latina vetus Vulgata , communis , Itala apud Græcos , latinoſque fideles uſum obtinuere, non propterea deſtitit fons , unde verſiones illæ prodierant , authenticus eſſe , nec propterea cœpit ſuo uſu , ſuaque dignitate deiici. Fidelis , accuratæque interpretationis laudem Eccleſiaſticæ verſioni concedens , quæ erat fontis propria , ut ad eum ea , quæcunque eſſet , exigeretur, ſuo jure jugiter vendicavit. Quamobrem ubi obſcuræ erant translationes , ubi diſſentiebant , ubi aberrabant , quovis non obſiſtente Eccleſiæ uſu, aut ipſarum authentia, ad Hebraicum textum, quem Hebraicam veritatem appellabant, tanquam ad inconcuſſam ,

concussam, & tutissimam fidei, & cuiuslibet versionis normam Patres confugiebant; cuius œconomiæ multa extant eorum testimonia. *Veterum*, inquit Hieronymus (1), *librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est.* Quod Hieronymi institutum, ne eius dumtaxat peculiari traditione, & doctrina innixum cuipiam forte videretur, non autem referret ecclesiasticam disciplinam, optime, & sapienter Gratianus inter Ecclesiasticos canones a se congestos reposuit (2). Alibi vero (3), *in veteri testamento*, inquit S. Pater, *si quando inter græcos, latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur hoc quæramus in rivulis.* Et Comm. in Cap. I. Abdiæ: *multum in hoc loco translatio nostra discrepat ab editione Vulgata. Unde debemus in expositione historiæ* (idest sensus literalis) *hebraicam veritatem sequi.* Item Comm. in Cap. III. ep. ad Gal. *Hunc morem habeo, ut quotiescunque ab Apostolis de V. instrumento aliquid sumitur, recurram ad originales libros; & diligenter inspiciam, quomodo in suis locis scripta sint.* Origenes, ut in ep. ad Sun. & Fretel. idem notat Hieronymus, ubi in Græcis codicibus quidpiam extare animadvertebat, quod in Hebraicis deerat, *Obelon, idest jacentem præposuit virgulam, quam nos latine veru possumus dicere, quo ostenditur jugulandum esse, & confodiendum, quod in authen-*

(1) Epist. olim XXVIII. ad Lucin. nunc 52. T. IV. p. 579.
(2) Dist. IX. Can. VI. *Ut veterum.*
(3) Ep. CXXXV. ad Sun. & Fretel. T. II. p. 626.

ticis libris non invenitur. Augustinus Lib. XV. De Civitate Dei (1), *Fieri*, inquit, *nullomodo dubitaverim*, *ut cum aliquid diversum in utrisque codicibus invenitur*, *quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum*, *ei linguæ potius credatur*, *unde est in aliam per interpretes facta translatio*. Lib. autem II. De Doct. Chr. Hebraicas a nobis litteras necessario perdiscendas docebat, ut ad exemplaria præcedentia recurratur; quæ nisi legantur, quis interpretum vera sequutus sit, dignosci nulla ratione posse. Cassiodorus demum Lib. I. Divin. Lect. (2), si aliqua reperiuntur absurde in versionibus posita, ad Hebræam scripturam emendanda esse censebat. *Decet enim*, inquit, *ut unde ad nos venit salutaris translatio*, *inde iterum redeat decora correctio*. Hæc erat Patrum, hæc orthodoxorum Theologorum ante Synodum sententia, & praxis, quæ usque ad Synodum ipsam jugiter in Ecclesia viguit. Ita ut paullo ante ipsam Driedo Lovaniensis Academiæ doctus Theologus scribere adhuc non dubitarit (3): *non arbitrentur absurdum esse sermonem sacræ scripturæ translatum ex suo fonte in linguam aliam examinare*, *recurrendo ad suam originem*, *&* *discutere*, *si forte interpres deviaverit a sensu eius*, *qui scripsit*. Quare ergo, si Patrum decreto, non sublata, sed servata prorsus est Hebraicis codicibus ea dignitas, atque auctoritas,

(1) Cap. XIII.
(2) Cap. XV.
(3) Lib. II. De Translationib. S. Scrip. Cap. I.

quam antea obtinuerant, non licet nobis post Tridentinam Synodum, quod Patribus omnibus, Theologis, Interpretibus licebat, & adeo ipsis ad eruendum divinorum verborum germanum sensum conducere videbatur? Nec aliter sane se gesserunt hucusque post Concilii tempora orthodoxi quique Theologi, & scripturarum interpretes. Juxta Patrum statuta, & Ecclesiasticam constitutionem prosequuti sunt Hebraicum textum, ut verum a Deo immediate profectum scripturæ textum venerari, afferre novas ex eo interpretationes cudere (1), consulere, mendosas etiam ipsius Vulgatæ lectiones corrigere, obscuras illustrare, dissidentes componere. Quodque magis mirandum esset, id Clemens VIII., & Clementini correctores præstiterunt. Ita ne summas eruditorum, totiusque Ecclesiæ laudes reportassent religiosissimi viri, si fuisset usus Hebraicorum codicum Tridentinorum Patrum auctoritate, & sanctione sublatus?

Sed qui potuissent Patres Vulgatam versionem authenticam eo sensu facere, ut excluderentur fontes, eaque his præferretur, si nec in eorum potestate erat Vulgatam eo sensu facere authenticam, ut aequalis esset cum illis auctoritatis, quemadmodum optime observat Natalis Alexander (2)? Num quod corruptum Hebraicum contextum putarint,

(1) Forerius novam ex Heb. T. versionem Concilii tempore suscepit, ipsisque iisdem Tridentinis Patribus in Concilio congregatis dicavit V. hanc ded. T. I. Crit. S.

(2) Hist. Eccl. Sec. IV. Diss. 39. Ar. 5.

cui purior rivulus præferendus esset? Adeo ne in divinam providentiam contumeliosi, & in Ecclesiam ipsam iniurii optimi Patres fuerunt, immo in universam antiquitatem, quæ Hebraicum textum Hebraicam, ut diximus, veritatem nominabat? *Nam tradidit Deus Ecclesiæ*, inquit præclare Simeon de Muis (1), *non primum versiones, sed textus primævos, eosque purissimos, & authenticos. Qui itaque tales hodie extare negant, non tantum in providentiam divinam, quæ Ecclesiæ nunquam deficit in necessariis, contumeliosi, sed & in Ecclesiam Christi sponsam iniurii sunt, quæ depositum hoc corrumpi sineret, cuius erat officium illud sartum tectum conservare.* Si ob menda parvi momenti Hebraicum textum dignitate, & usu deiecerunt, qui latinam editionem prætulissent, quæ eiusmodi mendis non erat immunis? Si vero in rebus ille gravioribus peccabat, non video, quomodo in universalem Ecclesiæ usum eam versionem introduxerint, quæ in illis cum Hebraicis codicibus consentiebat. Si vero incorrupti hi erant, nec id doctissimi Patres ignorabant, quod difficile non erat comparantibus cum Vulgata primigenium textum dignoscere, quo jure voluissent illi auctoritatem, & usum Hebraicis codicibus adimere? Vulgatam versionem ex Hebræo textu Hieronymus susceperat. Annon ergo Ecclesia Hebraicæ veritati, dignitatique honorificum testimonium perhibuit, dum Hie-

(1) Asser. I. H. V. pag. 72. 73. apud eund. Natal. ibid.

ronimianam interpretationem ex ea emanatam authenticam, & retinendam definiit? Quod idem porro Pontifices nonnulli præstare visi sunt, qui Pagnini translationem ex Hebræo elaboratam amplissimis decretis approbarunt. Igitur tantum abest voluisse sive Pontifices, sive Patres Tridentinos eorum decretis Hebraicis codicibus auctoritatem, & usum eripere, ut ea potius novo, eoque luculentissimo testimonio corroborarint. Demum si a Tridentina Synodo Vulgatæ authentiam definiente Hebraicus textus excluditur, multo magis, & facilius id de Græca, reliquisque orientalibus versionibus dicendum videretur. Et tunc quomodo aut authentica LXX. Interpretum translatio dici posset, aut orientales Ecclesiæ, quæ non Vulgata, sed Græca, Syriaca, aliave eiusmodi versione utuntur, veras Dei scripturas haberent? At vero, inquis, authentica in Ecclesia Biblia sunt Vulgata: plura autem in Ecclesia Biblia authentica esse nequeunt. Latina utique plura nunc authentiam non obtinent, quod Tridentina Synodus ceteris latinis interpretationibus usum, auctoritatemque in Ecclesia ademerit. At Græca LXX. authentica est, & in orientali qualibet Ecclesia, quæ cum Romana communionem servat, orientales versiones authenticæ sunt (1). Qua-

(1) Ita adhuc recenter in Sorbona propugnavit Philippus Du Contant in Thesibus Theologico-Hebraicis, Chal., Syr., Arab., & Græcis 4. 1765. p. 24. ex specimine, quod nobis exhibet le Journal des Sçavans pour l'an. 1766. Mai. *la version Grèque attribuée aux* 70 . . . . *est tres-*

re ergo Vulgata fidelis, & accuratæ interpretationis, textus vero Hebraicus fontis auctoritatem, & fidem simul in Ecclesia habere non poterunt? Quod incorrupti igitur essent, & incorrupti adhuc sint Hebræi codices, authentici erant, & authentici adhuc sunt, ad quorum normam controversiæ de fide judicentur, omnesque etiam versiones expendantur. Fontium semper auctoritate gaudent, & dignitate, qualem antea in Ecclesia obtinebant.

Quod tamen luculentius adhuc evincit usum Hebraici textus non fuisse a Tridentinis Patribus sublatum, multa Patrum ætate in Vulgatam menda irrepserant, & nonnulla etiam num supersunt, ut inferius constabit. Porro ni ad fontem confugiamus, unde dignosci ea, aut emendari queunt? Nec enim Synodus, dum Vulgatam authenticam declaravit, immunem eam ab omni mendo fecit, ut nonnullis placuit, &, quod mirandum magis est, recentiori adhuc Patri Casini, qui in selectis eius Thesibus De Sacris libris Vulgatæ editionis Romæ impressis anno 1753. asserere, & defendere non dubitavit, *intendimento del Concilio esser stato di definirla autentica sì, e per modo che da ogni qualunque errore sia esente*, ut Auctoris mentem in litteraria sua Historia nobis pandit Pater Zacharia (1). Aliam Patrum mentem

ancienne & authentique . . . la version Syriaque authentiq. . . . comme néanmoins cette version Arabe est employée dans les offices Ecclesiastiques par quelques Catholiq. de l'Orient avec l'approbation du S. Siege, on lui donne aussi le titre d'authentique, etiam authenticam declaramus.

(1) Stor. letter. d'Italia Vol. VIII. a Lul. ad Xmb. Lib. II. Cap. I. §. 1.

fuisse doctissimorum iterum testimonio confirmari potest. Idem superius commemoratus Andreas Vega, *che a quel tempo*, ut verbis utar Card. Pallavicini (1), *stava in Concilio, e che quantunque fosse Teologo consigliero, e non Vescovo giudicatore, fu nondimeno ascoltato con la debita stima*, ita olim latam Concilii sententiam de Vulgata editione Calvino interpretabatur (2). „ Ne erres, ut facis, circa approbationem Vulgatæ editionis factam in Sess. 10., nec frustra labores in ostendendis vitiis Vulgatæ editionis, audi obiter pauca, quæ & Philippo (*Melanctoni*) dicta velim, qui ante te graviter de hoc accusat Patres. Synodus non approbavit menda, quæ linguarum periti, & in sacris literis mediocriter versati in ea deprehendunt. Approbavit dumtaxat Vulgatam editionem repurgatam a mendis, quæ vitio scriptorum, vel calchographorum in ea obrepserunt. Nec eam tanquam e cælo delapsam adorari voluit. Interpretem illius, quisquis ille fuerit, sciebat non fuisse prophetam, nec nos meruisse hactenus quemquam, qui eodem in omnibus spiritu sacras literas a propria, & nativa lingua in alienam linguam transfuderit. Ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent melius potuisse aliqua verti, & uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spi-

(1) Hist. Conc. Tr. Lib. VI. Cap. XVII.
(2) De Just. Lib. XV. Cap. IX. apud Nat. Al. comm. I.

„ ritus S. ſenſus, vel certe alios commodiores, quam „ e Vulgata editione poſſent haberi. Sed in honorem vetuſtatis, & honoris, quem ei jam a multis „ annis detulerant Concilia latina, quæ ſunt ea uſa, „ & ut certo ſcirent fideles, quod & veriſſimum „ eſt, nullum inde haberi poſſe perniciosum errorem, & tuto illam, & citra periculum poſſe legi, „ ad coercendam etiam confuſionem, quam affert „ multitudo translationum . . . ſapienter ſtatuit, „ ut iſta uteremur. „ Hucuſque Vega, qui ſuperius allata auctoritate etiam comprobat Cardin. S. Crucis Michaelis Cervini, qui ut Pontificius legatus ipſi eidem ſeſſioni præfuerat. Et Bellarminus de verbo Dei (1): „ nec ita tamen (*Eccleſia Vulg. verſionem*) „ approbavit, ut aſſeruerit nullos in ea librariorum „ errores reperiri, ſed certos nos reddere voluit, „ in iis præſertim, quæ ad fidem, & mores pertinent, nulla eſſe hac in verſione interpretum „ errata. „ In epiſtola vero ad Lucam Brugenſem: „ ſcias velim Biblia Vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata. Multa enim juſtis de cauſſis „ pertranſivimus, quæ correctione indigere videbantur. „ Sixtus autem autem Senenſis doctiſſimus illius ævi ſcriptor „ De erroribus vero, inquit (2), „ quos Hieronymus in veteri tranſlatione annotavit, & recentiores in hac nova editione pariter

„ annota-

(1) Lib. II. Cap. VI.
(2) Lib. VIII. Biblio. S.

„ annotarunt, ingenue fatemur & nos, multos „ errores a Hieronymo emendatos in veteri Tra- „ ductione, & similiter in hac nostra nova editio- „ ne nonnullas inveniri mendas, solœcismos, bar- „ barismos, hyperbata, & multa parum accommo- „ date versa, & minus latine expressa, obscure, & „ ambigue interpretata, itemque nonnulla superad- „ dita, aliqua omissa, quædam transposita, immu- „ tata, ac vitio scriptorum depravata. „ Verum quid plura Doctorum testimonia congerimus? Sixtus V. Summus Pontifex multa in Vulgata translatione menda sustulit, & quantum tunc pro temporis brevitate licuit, emendatam imprimendam curavit anno 1590., sed quia „ fecit hoc, inquit Henricus „ Bukentopius (1), absque notabili recursu ad textus „ originales, [ut liquet ex Bulla editioni isti præfi- „ xa, ex qua pariter constat, ipsum principaliter „ studuisse, ut Biblia Vulgata ederet juxta lectio- „ nem tunc temporis magis communem, qua de „ caussa permulta reliquit intacta, quæ merito cor- „ rigenda videbantur „ hoc uberius præstitit Clemens VIII., qui, quod præcipue animadvertendum est, ex Hebræis codicibus plura correxit, atque emendatiorem Vulgatam edidit anno 1592.; cuius quidem rei grave nobis non est quoddam in selectis Genesis locis specimen subiicere.

(1) Lux de Luce Præf. ad Lib. III.

Specimen uſus Hebraicorum codicum a Clementinis correctoribus facti poſt Tridentinum Concilium in ſelectis nonnullis Geneſis locis Sixt. Edit.

Gen. I. 2. Habebat Sixtina *ſpiritus Domini;* ex Hebraicis codicibus, ubi extat Elohim, non Adonai repoſitum eſt in Clementina *ſpiritus Dei.*

Gen. I. 27. *Et ſimilitudinem ſuam* ex Hebr. cod. ſublatum eſt, ubi extat tantum Betzalmò *ad immaginem ſuam.*

II. 12. *Ibique invenitur.* Sublata eſt in Clementinis edit. copula, quæ in Hebr. codicibus non habetur.

III. 11. Sixtina: *cui dixit Dominus.* Omiſſum eſt in Clem. *Dominus*, quod a fonte aberat.

III. 19. *Veſceris pane tuo.* Quamquam conforme id eſt Græco textui, tamen, quod in Hebraico textu non legatur affixum, correctum eſt *veſceris pane.*

III. 23. *Emiſit eum.* Addit Clementina copulam, quæ in Hebræo habetur.

IV. 7. *Peccatum tuum aderit.* Omiſſum eſt *tuum*, quod in Hebr. cod. omittitur.

V. 3. *Genuit filium ad* &c. Omiſerunt Clementini correctores *filium*, quod Hebraici codices non habent.

V. 22. Addit ex Hebræo Clementina: *& ambulavit Henoch cum Deo*, quod in Sixtina deerat.

VII. 13. *Et uxores*. Addit Clementina *tres* ex Hebr. cod.

IX. 5. *Et de manu fratris eius*. Ex Hebr. omittit Clem. *de manu*.

XIII. 14. *Leva oculos tuos in directum*. In Clementina ex Hebr. omiſſum eſt *in directum*.

XIII. 17. *Surge ergo*. Ex Hebr. cod. omiſerunt correctores *ergo*, quod redundabat.

XIV. 10. *Et Rex Gomorrhæ*. Omiſſum eſt *Rex*, quod ab Hebræo abeſt.

XIV. 14. *Perſecutus eſt eos*. Iterum ex Hebr. omiſſum eſt *eos*, quod in Sixtina redundabat.

XIV. 15. *Percuſſitque . . . uſque Hobe*, *& Phœnicen*. Omitt. *& Phœnicen*, quod non extat in Hebraicis codicibus. Hæc, & alia eiuſmodi, quæ ex ſingulis V. T. libris afferri poſſunt, ſat oſtendunt Vulgatam non ita a Patribus Tridentinis authenticam declaratam eſſe, ut menda omnia, omneſque a fonte diſſonantiæ excluderentur, &, quod caput diſputationis eſt, Hebræorum codicum uſus, & conſultatio.

An vero Clemens VIII. omnia ſuſtulit? Aliter ipſe in Præfatione ad Vulgata Biblia nos docet; ubi aſſerit Summus Pontifex difficile eſſe, ea numeris omnibus abſoluta pro humana imbecillitate adfirmare, & ſicut nonnulla in iis conſulto mutata ſunt, ita & alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relinqui. Sane, præterquamquod eruditi,

& idem, quem ſuperius commemoravimus, Henricus de Bukentop (1) nonnulla loca animadvertunt in editione Sixtina magis Hebraico fonti ad verbum congruere, quam in Clementina, ex quibus pauca nos inferius delibabimus, Lucas Brugenſis, Bellarminus, Muiſius, Simonius, Natalis Alexander, Bukentopius plura errata, etſi minoris momenti (2), pluresque diſcrepantias in Clementinis editionibus notare, colligere, & ob eruditorum oculos ponere non dubitarunt, ut interpretes pene ſingulos reticeam. Verum, ut nil eſt exemplis efficacius, ſelecta ex Clementinis hodiernis Bibliis ſive Vaticanis, ſive Plantinianis loca ſubiicimus, quo efficiatur magis non eam primum Tridentinis Patribus mentem inſidere potuiſſe, ut Vulgatam noſtram ab omni prorſus nævo immunem declararent; tum vero, quod ab initio propoſitum nobis eſt, Hebraicorum in illis codicum uſus luculentiſſime colligatur.

(1) Cit. Lib. Lux de Luce Lib. III. Cap. II. & III. Art. I.

(2) Iniuria plerorumq. aliter ſentientium Hæreticorum ſententia ſat ipſis iiſdem exemplis, atque utrorumq. codicum collatione redarguitur; præcipue vero teſtimonio, & laudibus doctiorum inter ſuos interpretum Vulgatæ noſtræ fidei tributis. Waltonus Diſſ. De linguis Orient. n. 77. magni faciendam, nec temere reiiciendam exiſtimat. Theod. Beza omnibus ceteris latinis verſionibus præferendam fatetur. Lud. de Dieu Præf. Animadv. in IV. Evang. Auctorem Vulgatæ doctiſſimum eſſe judicat, eiuſque fidem, & judicium admiratur. Hugo Grotius ait Vulgatum ſe latinum interpretem ſemper plurimi feciſſe, & nulla dogmata inſalubria continere; quod idem Fagius, Caſaubonus, aliique teſtantur apud eund. Walt. cit. l. Si porro minoris tantum momenti hæc Vulg. errata, atque a ſuo fonte διαφωνιαι ſunt, immerito ſentiunt Hæretici imprudenti decreto a Tridentinis Patribus authenticam declarari, aut verum illam Dei verbum non continere, noſque falſis prorſus Bibliis

Usus Hebraicorum codicum in selectis a fonte dissonantiis, & mendis Clementinæ editionis, quæ a Sixtina aberant.

Gen. VIII. 9. Habet Clementina: *extenditque manum*. Sixtina vero: *extenditque manum suam*. Si Hebraicum fontem consulis, ubi est *Jadò*, facile colliges Sixtinam lectionem esse hodierna nostra accuratiorem.

XVII. 25. *Ismael filius*. Sixtina: *filius suus*. Hebr. בנו Græc. υἱὸς ἀυτȣ̃.

XXX. 25. *In patriam*. Sixtina: *in patriam meam*. Heb. T. אל מקומי

Lev. IV. 2. *Anima, quæ peccaverit*. Sixtina: *anima, cum peccaverit*. Heb. T. כי

VI. 9. *Ignis ex eodem altari erit*. Sixtina juxta Heb. T. *ignis in eodem altari erit*.

XXVI. 45. *Et filios Israel*. Sixt. juxta Heb. *& inter filios Israel*.

Num. XII. 4. *Locutus est*. Sixt. *locutus est Dominus*, ut est in Hebræo.

adhærere. Nam & Leusdenius Spicileg. Philol. Cent. II. Cap. X. Q. 9. de suis Bibliis scribere non dubitavit: *licet Ecclesia nostra reformata usque ad an. 1637. non habuerit Biblia satis correcta: inde tamen non sequitur vel habuisse Biblia falsa, vel non habuisse in illis Bibliis omnia, quæ ad salutem erant necessaria.* Quare ergo adeo nobis succenset iniquior ceteris, & præcipuus Vulgatæ obtrectator? Et in singulis Hebraici textus editionibus aliqua typographica parvi mom. menda reperiri omnes etiam Hæretici arbitrantur; quæ tamen divinam illius auctoritatem, & fidem non lædunt.

XV. 36. *Obruerunt lapidibus*. Sixtina cum Hebr. T. *obruerunt eum lapidibus*.

Josue XVII. 12. *In terra sua*. Sixtina: *in terra ipsa*. Heb. T. הזאת

I. Paral. VII. 15. *Accepit uxores*. Sixt. *accepit uxorem*. Heb. אשה

I. Esdræ VIII. 3. *Secheniæ, filiis*. Sixt. cum Heb. T. *de filiis*.

Prov. XIV. 9. *Stultus illudet peccatum*. Sixt. *stultis*. Heb. אוילים

XXIV. 27. *Ut postea*. Sixt. *& postea* juxta Heb.

XXX. 31. *Nec est Rex, qui resistat ei*. Congruentius fonti habebat Sixtina: *& Rex, cui non est, qui resistat ei*.

Jerem. XXVII. 16. *Vasa Domini*. Sixtina cum H. T. *vasa domus Domini*.

Dan. II. 23. *Patrum nostrorum*. Sixtina congruit cum fonte Chaldæo: *Patrum meorum*.

Usus Heb. cod. in selectis Clem. edit. locis, quæ ob menda typograph., vel etiam interpretis ad Heb. T. exigi, atque Ecclesiæ auctoritate emendari posse eruditi notant.

Gen. III. 15. *Ipsa conteret caput tuum*. Hebr. T. הוא ישופך ראש *Ipsum*, scilicet semen mulieris, seu Messias ex uno mulieris semine prodeundus *conteret tibi caput*.

VIII. 4. *Vigesimo septimo die mensis*. Heb. T. *decimo septimo*; ut & Chald., Syr., Arab.

VIII. 7. *Egrediebatur* (corvus), *& non revertebatur*. Heb. T. ויצא יצוא ושוב *& exiit exeundo, & redeundo*. Ita Chald., Syr., Arab., Samar., & varii Lat. cod.

XI. 4. *Antequam dividamur in universas terras*. Heb. T. פן *ne forte dispergamur super faciem univ. terræ*; quod prodit graviss. ædificantium peccatum reluctandi scilicet divino consilio, Deoque obsistendi, qui dividi Noe nepotes volebat, & terram inhabitari.

XVIII. 28. *Delebis propter quadragintaquinque*. T. Heb. *propter quinque*; quod sensus necessario exigit.

XI. 13. *Vixit, postquam genuit, trecentis tribus annis*. Heb. T. *quadringentos tres annos*.

XXXVI. 24. *Invenit aquas calidas*. Heb. T. ימין *mulos* juxta plerosque Exegeticos.

Exod. VI. 3. *Nomen meum Adonai non indicavi eis*. Falso id dictum videretur, nam sub hoc nomine Patriarchæ priores jam Deum cognoverant. Hebr. T. *nomen meum Jeoàh non indicavi eis*.

XV. 19. *Ingressus est enim eques Pharao*. Heb. סוס *equus*.

XXXII. 28. *Quasi viginti tria millia*. Hebr. *quasi tria millia*.

XXXVIII. 29. *Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli*. Id falsum est, & incredibile omnino tantum æris obla-

tum esse Heb. T. *æs oblatum septuaginta talenta, & bis mille, & quadringenti sicli.*

Num. XXXIII. 40. *Audivitque Chananæus Rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israel.* Heb. T. *& audivit Chananæus Rex Arad & ipse habitans in meridie in terra Chanaan, cum venirent filii Israel.*

Ult. 7. Et *cunctæ fæminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis.* Hebr. T. *& omnis filia possidens hæreditatem ex tribubus filiorum Israel uni ex familia tribus Patris sui erit in uxorem, ut hæredes fiant filii Israel unusquisque possessionis Patrum suorum.*

Josue XIII. 2. *Omnis Galilæa Philistiim.* Heb. Col geliloth Happelisthim *omnes termini*, vel littora *Philistinorum.* LXX. ὅρια φυλιστιείμ. Forte, quod Bukentopius suspicatur (1), Hieronymus retinuit in versione Heb. Ghelilòth, ut alibi Asedoth, quod ab indocto amanuensi, qui illud non intelligebat, mutatum est in *Galilæa*, aut legit ille Gheliluth.

XXII. 10. *Cumque venissent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan.* Rectius *ad tumulos in terra Chanaan*, seu existentes in terra Chanaan: qui enim venissent in terra Chanaan Rubenitæ, qui in eadem morabantur? Heb. T. *venerunt ad limites Jordanis, qui sunt in terra Chanaan.*

XXII. 32. *Reversusque est cum principibus a filiis Ruben, & Gad, de terra Galaad finium Chanaan ad filios*

(1) Cit. Lux de Luce Lib. II. p. 158.

filios Israel. Heb. T. *de terra Ghilhad ad terram Chanaan.*

Jud. XXI. 10. *Decem millia.* Heb. T. *duodecim millia* cum LXX., Ch., & Josepho Heb.

XXI. 21. *De Tribu Ephraim urbes confugii Sichem, & Gazer, & Cibsaim.* 32. *De Tribu quoque Nephtali civitates confugii, Cedes in Galilæa, & Hammoth &c.* An ergo & Sichem, & Gazer, & Cibsaim, & Cedes, & Hammoth sunt omnes civitates confugii? Heb. T. *urbs confugii Sichem &c.*

Lib. III. Reg. XXI. 24. *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes.* Atqui Achab mortuus est, & sepultus in Samaria. Aliter Heb. T. habet: *eum, qui mortuus fuerit de Achab in civitate, comedent canes.*

III. Reg. II. 28. *Venit nuncius ad Joab.* Hebr. T. *Pervenit* שמועה *fama*, vel rumor. Græc. ἀκοή.

I. Paral. VIII. 11. *Mehusim genuit Abitob.* Non vertitur Hebr. particula. *Ex Husim genuit.* LXX. ἐκ τῆς Ωσὶν.

Prov. XXX. 19. *Viam viri in adolescentia.* Hebr. *viam viri in* עלמה *adolescentula virgine.*

Isai. V. 9. *In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum.* Hebr., & Hieron. *in auribus meis sunt hæc Domini exercituum.*

VII. 14. *Et vocabitur.* Heb. *& vocabis.*

XXVII. 6. *Qui ingrediuntur ad Jacob.* Heb. T. *qui egrediuntur ab Jacob.*

Omittimus, quod facile possemus, plura eiusmodi afferre, ex Psalmis præcipue, quorum translatio in Vulgata non est ex Hebræo a D. Hieronymo, ut omnes norunt, sed ex Græca LXX. Interpretum editione elaborata. Tamen tot hæc sunt, quæ attulimus, & eiusmodi, ut, si a quopiam attendantur, dubitare jam hic nequeat, num aliqua menda, & διαφωνίαι in Vulgata nostra etiam post Clementinam emendationem extent, quæ Hebraicorum codicum usum postulare videantur. Quid vero ad hæc, atque alia quævis loca, ubi Hebraicus textus, & Vulgata dissident, omnimodæ illius, admirandæque Vulgatæ puritatis assertores? *Vel in illis*, inquit superius commemoratus Pater Casini (1), *& similibus locis est contrarietas, vel sola diversitas. Si vera est contrarietas, & ita pugnant inter se textus originalis, & vulgata, ut conciliari omnino non possint; ex hac emendandus est ille, cum hodie, ut diximus, non sit authenticus . . . Si vero est sola diversitas, & utrumque potuit dicere Deus, utrumque dixit. Et tam propriæ ipsius locutiones sunt, quæ dixit latine, ut interpres; quam propriæ sunt eiusdem locutiones, quæ dixit Hebraice, & Græce, ut auctor ipsius scripturæ. Vtrumque fecit, & fecit nomine suo, hoc est directe, & proxime ad manifestandos mentis propriæ conceptus*. Hæc ad exempla. Quid porro ad tantorum virorum auctoritatem, qui in Vulgatis Bibliis menda notarunt? *Providentia*,

(1) Pag. XI. earund. Thes.

inquit, *eadem factum putamus, ut Bellarminus, & alii sapientissimi viri aliqua pertransirent, quæ correctione indigere videbantur, quia revera non indigebant, sed Vulgati interpretis autographum fideliter referebant.* Ridicula hæc sunt, nec commemoratione, ne dicam confutatione digna. Sed persequamur jam selecta item nonnulla in Vulgata loca sive redundantia, sive omissa, sive demum obscura, & ambigua, ex quibus Hebraicorum codicum usus vehementius confirmatur.

Selecta, quæ eruditi ex Hebraicis codicibus notant, in Clementinis Bibliis redundantia loca, in quibus sive integræ sententiæ, sive verba redundant, a sciolis exscriptoribus, vel etiam ab interprete addita.

Gen. IV. 8. Exod. II. 22. Num. VIII. 2. XX. 6. XXXIII. 3. Josue XXI. 36. XVI. 8. Judic. I. 35. I. Reg. V. 6. 9. IX. 25. X. 1. XIV. 41. XV. 3. XXI. 2. XXX. 15. II. Reg. I. 18. aut 19. I. 26. V. 23. IV. 5. X. 19. XIII. 21. 27. XV. 18. 20. XXI. 18. III. Reg. V. 6. XVI. 7. XX. 38. I. Paral. I. 32. Prov. IV. 27. X. 4. XIV. 15. XV. 27. XVI. 5. XVII. 13. XVII. 16. XVIII. 8. I. Esdræ I. 8. IV. 23. Job. I. 21. I. 22. XI. 10. Jer. III. 1.

Selecta loca in Heb. codicib. extantia, quæ in Clementi Bibliis omittuntur.

Gen. XXXVI. 8. Omittitur nomen Esau, unde sensus ambiguus efficitur.

XXXIX. 22. Om. *Princeps carceris.*

XLI. 4. *Devoraveruntque eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat.* Sensus ambiguus est, & obscurus, ni addas, quod in Hebræo legitur: *& devoraverunt vaccæ malæ visu, & macilentæ, vel deficientes carne septem vaccas pulchras aspectu, & pingues.*

L. 22. *Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem.* Omittitur nomen Josephi, unde ambiguum est, num Ephraim, an vero Joseph viderit illius filios usque ad tertiam generationem. Heb. T. *& vidit Joseph Ephraimi filios.*

Jud. XII. 1 Omit. *super te.*

XVII. 7. Omit. nomen Jehuda; unde ambiguum fit, num adolescens ille, de quo ibi sermo habetur, fuerit de cognatione Michæ, an verò de cognatione Judæ.

Loca selecta in Vulgata ambigua, vel obscura, quæ ex Hebraico textu illustrari queunt.

Gen. III. 17. *Maledicta terra in opere tuo.* Scilicet, ut cuipiam videri posset, quum operaberis illam, & coles. De criminoso opere ibi agi intelligis ex

Hebræo textu, qui habet בעבורך *propter te*, vel propter tranſgreſſionem tuam, tuumque peccatum. Hieronymus Quæſt. in Gen. *Opera hic non ruris colendi, ut plerique putant, ſed peccata ſignificant, ut in Hebræo habetur.*

IV. 17. *Cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificavit civitatem, vocavitque nomen eius ex nomine filii ſui Henoch.* 25. *Cognovit quoque Adam uxorem ſuam, & peperit filium, vocavitque nomen eius Seth.* Ambiguum eſt, viri ne, an uxores nomina filiis impoſuerint. Et poſteriori quidem loco ex Vulgatæ contextu videtur Adam Setho nomen impoſuiſſe. At vero ex Hebraicis codicibus deprehendes, illic Cain, hic Evam officium hoc præſtitiſſe; propterea quod in priori exemplo habeant illi maſc. Vaiichrà: in poſteriori autem fœm. Vatichrà.

XXXVIII. 2. *Vidit filiam hominis Chananæi, vocabulo Süe.* Ambiguum eſt, num filia, an homo ille Chananæus Süe vocaretur, atque ex interpunctione videtur potius filia eo nomine appellata. Rem dirimit Heb. T. שמו *nomen eius* maſc.

XLIV. 20. De Beniamino Judas inquit: *ipſum ſolum habet mater ſua*; ex quo colligi poteſt Rachelem adhuc eo tempore vixiſſe, quæ jam multo ante deceſſerat. Clarius Heb. T. *remanſit ipſe ſolus matri ſuæ.*

XLVI. 18. *Hi filii Zelphæ . . . & hos genuit Jacob.* Jacob ne, an Zelpha genuit? Heb. T. *& ipſa peperit iſtos* ליעקוב *Jacobo*. Item Exod. IV. 26.

Deut. VI. 7. *Meditaberis in eis dormiens, atquè conſurgens.* I. Reg. III. 15. *dormivit autem Samuel uſque mane*. Abſonum videtur, ſive dormiendo in lege meditari, ſive dormiiſſe Samuelem, qui ter, & quarto a Deo vocatus tam ſtupenda ab eo prædici audierat. Utrobique habet Heb. T. verbum שכב *cubare*.

Joſ. VII. 5. *Et ceciderunt per prona fugientes.* Ceciderunt ne a Cado, an a Cædo? Heb. T. ויכום *& percuſſerunt eos.*

II. Reg. VII. 19. *Iſta eſt lex Adam.* Non primus ibi homo voce האדם, ſed homo in genere indigitatur.

II. Reg. XII. 24. *Quæ*, ſcilicet Betſabee, *genuit filium, & vocavit nomen eius Salomon.* Equidem videtur Bethſabee, non David nomen Salomoni impoſuiſſe; ſed aliter ſtatuit Heb. fons, ubi habetur ויקרא *& vocavit ille.*

III. Reg. VII. 14. *Filium mulieris viduæ de Tribu Nephtali*. Ambiguum eſt, & videtur potius vidua hæc eſſe de Tribu Nephtali, cum tamen ex II. Paral. II. 14. eſſet de Tribu Dan. Heb. codices, qui interſerunt הוא *ipſe*, ſat tibi oſtendunt, non viduam, ſed Hiram viduæ filium de hac Tribu fuiſſe.

IV. Reg. V. 18. 19. *Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re.* Quod in peculiaribus epiſtolis ad Tapinum ſuum, ſeu Diſſ. de Naamanis facto (1) jam dudum obſervavit Bochartus, & poſt ipſum Calmetus Diſſ. de proſtratione Naaman coram Remmon (2), aliique etiam apud ipſum optime Hebraicus textus in hunc ſenſum verti poteſt, ut Naaman veniam non pro cultu adhuc Numini impendendo, ſed pro antea impenſo deprecetur.
לדבר הזה יסלח יהוה לעבדך בבוא אדוני בית רמון
להשתחות שמה והוא נשען על ידי והשתחויתי בית
רמון בהשתחויתי בית רמון יסלח נא יהוה לעבדך
בדבר הזה *De hac re parcat Dominus ſervo tuo: quum veniebat Dominus meus in templum Remmon ad adorandum ibi, & innitebatur ipſe ſuper manum meam, & ipſe adoravi, ſeu procubui in templo Remmon; de hac mea adoratione, vel proſtratione in templo Remmon parcat quæſo Dominus ſervo tuo in hac re;* qua quidem lectione maxima Theologi difficultate liberantur, ut ut alias dein præſeferre cl. nonnullis viris videatur.

IV. Reg. XIX. 21. *Sprevit te, & ſubſannavit te virgo, filia Sion: poſt tergum tuum caput movit, filia Jeruſalem.* Obſcurum eſt, num hæc verba dirigan-

(1) Tom. III. Oper. p. 892. & 899.
(2) Extat T. I. Diſſert. in Scr. lib. p. 165.

tur ad filiam Sion, & Jerusalem, quod Sennacherib eam spreverit; an vero ad ipsum Sennacherib. Prius potius ex Vulgatæ interpunctione colligitur; & ita Liranus, & Cornelius a lapide (in Isai XXXVII. 22.) ea decepti intellexerunt. Ex Hebræo tamen alterum manifestissime eruitur, ubi verbum in fœm. genere sumitur, affixum vero masculini est, ut constet illud ad filiam Sion, hoc autem ad Sennacherib referri.

I. Esdræ III. 12. *Qui viderant templum prius cum fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum flebant.* Ambiguum est, num illud *cum fundatum esset* ad templum Salomonicum referatur, an vero ad Zorobabelicum; immo illud potius, quam istud intelligi videretur. Heb. T. *cum fundaretur hæc domus.*

II. Esdræ IX. 7. *Elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum.* Quid, quæso, intelligis nomine ignis Chaldæorum? Appellative videlicet transfertur nomen proprium urbis Ur; unde erat Abraham oriundus.

Cardinalis Bellarminus, qui & ipse olim ex locis, ubi sermo in Vulgata est anceps, Hebraicorum codicum usum etiam post Tridentinam Synodum ostendebat, duo præsertim ex Psalmis petita exempla proposuit, quo illud efficeretur. Nec enim dubitandum est, quin ex illis luculentiora loca sumi queant, quæ egeant ex Hebraico textu illustrari; quippequi non ex hoc, sed ex græca tantum inter-

pretatione

pretatione ſint, ut ſuperius monuimus. Verum ut ab initio propoſitum nobis eſt pauca tantum, ſelectaque hoc loco afferre, non erant hæc ex ea latinorum Bibliorum parte haurienda, quæ ex Hebræo proxime non haberetur, & ubi crebriores a fonte diſcrepantiæ occurrunt; ne cogi nos id facere exemplorum inopia videremur. Tum vero facillimum cuique jam eſt ex iis, quæ ex ceteris libris accuratioribus adduximus, ad ea, quæ ex Pſalmis adduci poſſent, & nos reticuimus, argumentari.

Quod tamen reticere hoc loco ad rem noſtram non poſſumus, unde & Bellarminus uſum fontis poſt Tridentinum ſtatutum licere demonſtrat, varia eſt Latinorum codicum lectio. Etenim variant alicubi Vaticana ipſa inter ſe; variant a Vaticanis Plantiniana, & cetera alibi terrarum impreſſa; ut certo ſtatui vix queat, quænam alteri lectio anteponenda ſit, ni ad fontem confugiamus. Ita editio Clementino-Romana anni 1592. Joſ. VIII. 29. habet: *Præcepitque Joſue.* Altera vero anni 1593. nomen Joſue omittit. II. Reg. III. 20. illa *viri eius*, hæc *viris eius.* XIII. 28. illa *Amnon vino*, hæc *Amnon* tantum. XIX. 22. prior *filii Sarviæ*, poſterior *filiæ Sarviæ.* XXIII. 25. habet illa *Elica de Arori*, altera vero *Helica de Harodi.* Jerem. L. 42. extat in priori *immiſericordes*, in poſteriori autem *miſericordes*, & alia eiuſmodi, de quibus conſule Henricum Bukento-

pium (1). Genesis vero XXXV. 8. habent Vaticana *super*, Plantiniana *subter*. Exod. VIII. 26. Vaticana *Domino Deo nostro?* Plantiniana *Domino Deo nostro*. Jos. XIX. 15. Vaticana *Jerala*, Plantiniana *Jedala*. III. Reg. XXI. 1. *quæ erat in Jezrahel* Vaticana legunt, Plantiniana vero *qui erat in Jezrahel*. XXII. 15. illa *tradet eum*, hæc *tradet eam*. Esther XV. 1. illa *quin esset Mardochæus*, altera *quin Esther Mardochæus*. Jer. XLIX. 3. priora Biblia *filiæ Rabbath*, posteriora *filii Rabbath*, & alia plura, quæ memorat Bukentopius (2), & facile est dignoscere utramque editionem comparantibus. Cuius quidem discriminis ea præcipua caussa est, quod Plantiniani Typographi secuti sint notas, & correctiones Lucæ Brugensis, quæ aliam ab autographo Romano anni 1593. lectionem referebant. Quamquam in epistola dedicatoria edito Romanarum correctionum libello præfixa fatetur Lucas has ex eo ipso Romano exemplari desumptas esse; quod si esset, nunquam Vaticana, & Plantiniana Biblia discreparent. Porro etsi plerumque Plantiniana lectio Vaticanæ præferenda videatur, in nonnullis tamen non adeo facile erant Vaticana exemplaria a Plantinianis typographis deserenda. Cap. Jerem. XLIX. 3. habebant Vaticana, & adhuc habent *clamate filiæ*, rectissime juxta & Hebraicos, & Græcos codices. Qui igitur

(1) Lux de Luce Lib. III. Cap. IV.
(2) Ibidem Cap. VII.

Plantiniani editores in Vulgatam mendosam lectionem *clamate filii* intruserunt, quæ plerasque recentiores editiones Plantiniana Biblia sequutas invasit? Ezechiel XXI. 28. optime cum fonte habet Vaticana *mucro, mucro evaginate, ... limate*. Lucas tamen Brugensis fictitia positione, quod ita legeret exemplar Romanum anni 1593., & Plantiniani typographi ipsum sequuti mendosam lectionem obtrudunt *mucro, mucro evagina te, lima te*. Atque hæc quum ita sint, quis apte satis intelliget, utra vera vulgatæ lectio sit, ni fontem consulat?

Ex hodiernæ vulgatæ Clementinæ editionis sive mendis, sive ambiguis, obscurisque locis, sive ea demum, quam proxime tetigimus, exemplarium varietate Hebraicorum codicum usum etiam post Tridentinam Synodum, & definitam Vulgatæ authentiam asserere hucusque & vindicare conati sumus. Quid vero si, ut ut perfecta latinæ nostræ translationis puritas latissime concedatur, tantum tamen abest, ut assertum hæc usum excludat, ut eum potius postulare necessario videatur? Nam unde nisi ex Hebraicis fontibus omnimoda illa integritas, & cum fonte congruentia sive dignosci a nobis, sive vindicari adversus Tridentini decreti hostes posset (1)? Clamant autem plerique hæreticorum absurdam hanc interpretationem esse, quam

(1) Forerius ad confirm. auctor., & fidem Vulgati interpr. coactus est novam ex Hebræo vers. illius osoribus obiicere. V. ej. Dedic. & Præf. in Isai.

Ecclesia communi fidelium usui consecravit, nec ullomodo cum fonte congruere; perperam a Patribus Pontificiis, qui hebraice ignorabant, ut suam ipsorum ad Hebraicam veritatem provocationem eludant, authenticam declarari. Quid porro hic consilii capiemus? Quibus omnibus efficitur, ut immerito prorsus ex allato Tridentinorum Patrum decreto definierit Melchior Canus (1) *non esse ad Hebraica, & Græca exemplaria provocandum.* Præsertim vero ut immerito ab Hebraicarum litterarum disciplina arceantur, quotquot Hebraicorum codicum in Vulgatis Bibliis usum Æcumenicæ Tridentinæ Synodi auctoritate sublatum arbitrantur.

C A P. V.

Decere christianum Theologum Novi T., quod non Hebraice, sed Græce exaratum est, magis esse sollicitum, quam Veteris.

Dantur autem alii, animadvertit Krugerus (2), *hanc linguam parvi pendentes, nihil quasi ad se putantes pertinere, consueti dicere, cui bono jam est lingua Hebræa? Vivimus in Novo Testamento; hoc autem græce literis* (ἐξαρχῆς) *consignatum est, & ita de hoc plusculum sollicitos nos esse oporteat, quam de Veteri.* Non id tamen ex ipsis Novi fœderis scripturis eruimus. In his repe-

(1) Lib. II. Locor. Theolog. Cap. XIII.
(2) Differt. de Ling. Heb. Antiq., Util., Necef. p. 48.

rimus Christum Jesum novis fidelibus commendasse τὸ ἐρευνᾷν τὰς γραφὰς (1), seu scripturarum perscrutationem; quo quidem vocabulo Veteris proculdubio instrumenti volumina intellexit. Paullus item (2) omnia non Novi solum, sed & Veteris Test. ad nostram institutionem, & doctrinam æque scripta esse testatus est, omnemque scripturam divinitus inspiratam sive veterem, sive novam utilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus (3), summopere propterea ob studium, & operam in sacris Veteris Test. litteris collocatam Timotheum commendans. Quod Christus, Paullus, & Apostoli omnes usu, & exemplo firmarunt. Unde sane eorum veritas, quæ in Novo fœdere aut dicta, aut facta narrantur, nisi ex Veteris prophetiis confirmanda? Novum Testamentum est veteris complementum; quid jam impletum teneamus, si quod implendum erat, ignoremus? Aut quum Christus non venerit Mosaicam legem solvere, sed adimplere, ni ex Vet. Testam. præmonstremus adimplendam, qui nos impletam demonstrabimus? Modum hunc Christus, sacrique ipsius scriptores, & Patres omnes sequuti sunt. Atque Origenes (4) adducto Marci Evangelii initio, quod hic ex Hebraicis V.T. scripturis desumpserat,

(1) Joh. V. 39.
(2) Rom. XIV. 4.
(3) II. ad Tim. III. 16. 17.
(4) Lib. II. contra Cels. T. I. Oper. p. 389.

ſat hoc innuitur, inquit, ὅτι ἡ τȣ̃ εὐαγγελίȣ ἀρχὴ τῶν Ἰουδαικῶν γραμμάτων ἤρτηται *quod Evangelii initium a ſcripturis Judaicis pendet.* Sic & adverſus Hebræos præſertim ſe gerunt Theologi, qui univerſa Jeſu facta, dicta, perpeſſiones, mortem denique, quæ in Novo T. exponuntur, tanquam veros dudum prædictos ab eorum Patribus expectati Meſſiæ caracteres, ſingula ex veteribus ſcripturis depromunt, ipſiſque incredulis, & cœcis intuenda obiiciunt. Eadem adverſus Hæreticos eſt ratio; niſi aut Manichæi, aut Sociniani ii ſint uni Novo fœderi adhærentes. An forte, ut impie olim iidem Manichæi effutiebant, ab eodem Spiritu, & Deo non eſt Vetus inſtrumentum, ut minus propterea venerari, & excoli debeat? Audi, quid Marcellinum doceat Athanaſius: *omnis apud nos ſive nova, ſive vetus ſcriptura Numinis divini afflatu prodiit, & idonea eſt ad erudiendum ſub ea forma, ſpecieque verborum, qua concepta eſt.* Auguſtinus autem Tract. IX. in Joh. codices quidem duos, unum tamen ſpiritum eſſe aſſerebat. Index quoque divini placiti, ac voluntatis ſunt veteres libri, eodemque ſpiritu ſanctitatis locuti ſunt ſancti Dei homines illorum auctores. In illis quæ de Deo enuntiantur, myſteria, & dogmata, æquiſſimam Dei perfectiſſimi entis ideam fovent. Quæ narrantur Patriarcharum facta, ſingula ſunt ad noſtram inſtitutionem efformata, dirigendæque vitæ noſtræ accommodatiſſima; ut quæ vetus ſcriptura

commendat, tanquam optima, veramque virtutem ſapientia imitemur, quæ contra reprobat, tanquam putida vitia omnino devitemus. Ibi moralia Dei præcepta rationi omnino conſentanea, immo & ipſum perfectæ rationis, ac naturæ recte informatæ dictamen; unde & moralis noſtra Theologia humanorum actuum ſive bonitatis, ſive malitiæ leges depromit. Ibi veræ Dei Eccleſiæ origo, & progreſſus. Ibi hominum Deum timentium ſermones, & vita. Ibi expectati Salvatoris ratio, promiſſiones, ſemen, dignitas, adventus ſigna, vita univerſa, mors denique ipſa, & reſurrectio. Ibi demum vaticinia omnia aut Chriſtum, aut novam ab eo erigendam Eccleſiam, aut Judæorum reprobationem reſpicientia cuduntur. Minus ergo ne Veteris T. ſollicitos propterea nos eſſe oportet, quod in Novo vivamus? Quid vero, ſi ad ipſum quoque Novum fœdus intelligendum Hebraica lingua requiratur? Atqui, inquis, græcis litteris conſignatum eſt. Utique, ſi Matthæum excipis, ita eſt, ut dicis. Verum an ignoras infinitis illud ſcatere Hebraiſmis? Etenim, etſi græca lingua, a viris tamen non dicam Hebraizantibus, ſed natione Hebræis conſcriptum eſt, qui peregrinis litteris, ubi non erant undecumque periti, ſcribentes, facile coacti ſunt, ut obſervat recte Caſtalio in Tranſl. Biblior. Defenſ., in patriam conſuetudinem deflectere. Referuntur parabolæ, ſermones, & dicta Chriſti, qui erat genere Hebræus, & Hebræos plerum-

que adloquebatur. Ipſi vero ſcriptores non ſolum, ut dixi, Hebræi erant & ipſi, ſed Ex-Hebræos alloquuntur, atque ad ipſos primum inſtituendos ſacroſanctum fœdus litteris conſignarunt. In Hebraico autem textu V. T. legendo, vertendo, allegandoque verſabantur. Quamobrem Novum T. neceſſario Hebraicis idiotiſmis abundare oportuit. Turpiter itaque falluntur Henricus Stephanus (1), Bebelius (2), atque, ut ceteros omittam, recentior Elias Palairet (3), qui non alias locutiones in N. T. admiſerunt, niſi quibus omnes alii ſcriptores Græci uſi ſunt, & in confutandis propterea Hebraiſmis N. T. perperam operam ſuam collocarunt. Fruſtra vero præ ceteris laboravit Georgius, qui in Diſſert. *De Hebraiſmis dictioni N. Teſt. immerito affictis*, & in *vindiciis N. T. ab Hebraiſmis*, ad omnes Hebraiſmos ex Novo fœdere eliminandos plurimum ſtudii conferre viſus eſt. De Hebraiſmis N. T. multi ſcripſerunt, quos in Deliciis Hebræo-Philologicis (4) attulit Schudtius. Apprime vero id præſtiterunt Glaſſius in Philologia ſacra (5); item in ſua Philologia Joh. Vorſtius (6), qui, cum ei non placeret Wyſſii reductio Hebraiſmorum ad XIII. tantum claſſes, eos reduxit

(1) Diſſ. De Stylo N. T. Græco Græcæ ſuæ edit. N. T. an. 1576. præfixæ.
(2) In Exercit. de Phraſi N. T.
(3) In Obſervationib. Philologico-Crit. in N. T.
(4) Pag. 255. 256.
(5) Lib. I. Tr. IV. Sect. II. Can. II. p. 328.
(6) Id duab. Part. Philolog. S., quarum prior edita eſt Lugd. B. 1658. Altera Amſt. 1665.

reduxit ad classes XXXI. Quibus addendi sunt Georgius Pasor, qui agens in Gram. Græca de N.T. dialectis varia Hebraismorum exempla ex eo collecta exhibuit, & Joh. demum Leusdenius, qui in singulari libello (1) accuratissime hoc argumentum persequutus est. Consule de Hebraismorum scriptoribus in utramque partem Johannis Simonis Introductionem Grammatico-Criticam in linguam Græcam Sect. XI. (2) Cap. I. §. 8. seqq., & Joh. Lamium recentiorem scriptorem Florentinum Cap. X. & XI. De Eruditione Apostolorum, ubi de peculiari sacrorum N. fœd. scriptorum stylo, & phrasi disserit. Quæ si ita sunt, etiam ad penitiorem N. T. intellectum Hebraicæ linguæ præsidium necessario adferendum est, quod in Johannis præsertim scriptis Toletus (3) postulabat. *Is*, inquit, *minus, quam ceteri Evangelistæ græce loquutus est, Hebraicis phrasibus abundat, unde fit, ut Hebræi sermonis peritia, non minus quam Græci ad sensum sententiarum assequendum sit necessaria.*

(1) De Dialectis N. T. singulatim de eius Hebraismis. Extat in eius Philol. Græco. Seiunctim vero cum aliis libellis viror. Doct. edidit Rhenferdius in Dissertationum Philol. Theol. De Stylo N. T. Syntagmate. Postremo avulsum edidit Fischerus 8. Lips. 1754.

(2) Quæ est de Lingua, & Textu N. T. Græco p. 243. seqq.

(3) Argum. Comment. in Johan.

CAP. VI.

Hebræos, & Hæreticos eadem facilitate, & vi ex versionibus, & Vulgata, quam ex Hebraicis fontibus revinci.

De hostium redargutione, quod alterum officium, & caput est, unde Hebraicarum litterarum usus arcessitur, idem sentiunt nonnulli, quod de scripturarum interpretatione. Nam eadem facilitate, & vi, si ipsis credimus, ex versionibus, & Vulgata, quam ex Hebraico textu Judæi, & Hæretici revincuntur, idemque prorsus subsidium translationes, Hebræique codices afferunt. Quod quidem falsissimum est, sive id fieri intelligant, quod apud Hebræos, & Hæreticos illæ æque ac hi, authenticæ sint, & Vulgatam recipiant, sive quia momenta, quibus ad eos oppugnandos utimur, eadem omnino in utrisque & copia, & vi, & claritate cudantur. Primum quod attinet, Hæretici proculdubio solum Hebraicum textum αὐθεντίαν habere, nullam vero interpretationes putant, quæcumque tandem eæ sint, ut ex selectis, quæ hic subiicimus, eorum testimoniis constat luculentissime. *Aliam itaque auctoritatem*, inquit Waltonus (1), *versioni Græcæ non tribuimus, quam aliis versionibus, quarum nulli authentiam proprie convenire existimamus, sed auctoritatem tantum humanam.* Scripsit

(1) Appar. Bibl. Proleg. IX. n. 56.

item Altingius (1) *quamcumque versionem, quantacunque etiam fide, ac industria elaboratam, αὐθεντίαν tamen non habere, quia humana versio est, eaque propter ad divinum textum, quem auctoritatis divinæ, & ἀξιοπίςυ ergo prælectum audivissent* (auditores), *jugiter esse revocandam, atque examinandam.* Et Sixtino Amamæ putare latinas versiones mentem Spir. S. referre quintus est error, & omnis barbariei fons, ut ex eius Antibarbaro colligitur (2). Sane si quæ versio est, quæ apud heterodoxos Lutheranos præcipue maximi habeatur, nemo dubitat, quin ea sit, quam Lutherus eorum antesignanus evulgavit; de qua adfirmat Pfeifferus (3): *nobis expertissimum est, nullam sub sole meliorem dari*. Nunquam ne propterea eam carpunt? Immo vero & carpunt, & ad libitum deserunt. *Aberrationes etiam diversarum interpretationum commostro*, ait Starkius (4) . . . *neque minus ipsius Megalandri nostri Lutheri.* Et David Fridericus Megerlinus in Fasciculo observationum miscellan. (5), *uti interpres*, inquit, *nulli prorsus translationi cæcam debet obedientiam; ita nec nostræ B. Lutheri, quam & ad*

(1) Differt. Philol. II. De versionib. Sacr. Scrip. §. XXXIX. Eius Dissertationum p. 147.

(2) V. Lib. I. Antib. Bibl. Hottingerus vero in Præfatione ad Godvvini Mosen, & Aaron, *sunt quidem*, inquit, *nobis versiones, nulla tamen fonti accomparanda. Aliæ magis, aliæ minus a textu originali recedunt; immo nec expectanda, quæ vim, & ἔμφασιν plene exprimat.*

(3) In usu Ling. S. Catholico in Theol. Exeget.

(4) Præf. ad Biurè Amichrà, seu Not. Sel. Crit. in loca dubia, ac diff. S. Scrip.

(5) §. IX.

fontem originalem exigere ei licet, & ab eadem interdum discedere. Ita profecto ei non integrum modo est, sed necessarium quoque ab illa dissentire in Ps. LXXX. 16. *&* 18. Johannes autem Fabricius in sua Historia Bibliothecæ Fabricianæ (1) de Lutheri Germanica translatione sermonem instituens: *neque tamen pro infallibili, seu tali est habenda, quæ nullum habeat erratum. Nam nec ipse Lutherus hoc sibi tribuit, nec alii quotquot veritatem amant.* Commemoratus vero Pfeifferus post allata verba, *suis vero*, subdit, *eam interim non carere nævis facili negotio ostendi posset, nisi verenda venerandi Patris revelare religio foret.* Quam tamen religionem innumeri alii non habuerunt; immo Pfeifferus ipse, qui ibi erga Lutherum adeo religiosus videtur, alibi, quum necessitas tulit, non erubuit adserere (2): *amicus Lutherus, amicus Philippus, sed magis amica veritas.* Itaque si ipsam Lutheri interpretationem deserunt Hæreticorum ministri, reprehendunt, ad Hebraicum textum exigunt, quæ altera fingi interpretatio poterit, cui fidant ipsi in disputatione, nec ad Hebraicos primigenios codices provocent? An Vulgata, quæ corrupta illis est, nobis favens, nec solum recipiunt, sed iniquo plane ausu & eam, & Tridentinum decretum, quo authentica in Ecclesia declaratur, conviciis proscindunt (3)? Igitur Hæretici,

(1) Tom. I. num. X. p. 27.
(2) Introd. in Orient. Diss. IX. Qu. 2. sub fin.
(3) V. Leusd. Philol. Hebræo-Mixto Diss. I. Glass. Philol. S. Lib. I. Tr. I. pag. 32. Hotting. Thes. Philol. Lib. I. Cap. III. p. 380., Amama in

qui Traditiones omnes, Patres, Concilia summa temeritate reiicientes (1) patiuntur se ex uno bibliorum textu refutari, solum Hebraicum textum, ut infallibilem veritatis lancem, divinæque auctoritatis admittunt (2). Nulli versionum, nec Lutheri ipsius, divinam authentiam attribuunt; Ecclesiasticam vero, qua nos utimur, accusant insuper, & turpiter traducunt. Ut fucum nobis faciant eorum judicio hebraice inscientibus, ut securius vincant, non ver-

Antib. Bibl., aliosque ej. Caussæ accusationis ab ipso Leusdenio ibidem exponuntur: *canonizavit* (*Syn.* Trid.) *versionem infinitis fere scatentem vitiis.* Infer. Quær. IV. *versio Vulgata multis in locis confirmat fidem Pontificiorum, cum in textibus originalibus ipsorum fides refutetur, & Reformatorum stabiliatur.* Verum, quod ad primum illud attinet, jam Cap. IV. animadversum est errores sive olim tempore Conc. Trid., sive modo in Vulg. extantes non esse magni momenti, nec fidem, & mores attingere, nec porro ullo modo a Tridentinis Patribus approbari, qui immo solerter ab iis emendandam Vulgatam præscripserunt. Jure autem authentica, idest suo fonti in his, quæ ad fidem, & mores pertinent, conformis declarari a religiosissimis viris & potuit, & pro necessitate debuit, quod revera in illis cum Hebraicis codicibus perfecte congrueret. Quamobrem & falsum est alterum, quod subiicitur, maius nobis ex Vulgata, quam ex Hebraico textu præsidium emergere, aut quempiam reperiri in Vulgatis Bibliis pro fide nostra locum, qui idem nobis non afferat in Hebraicis, ne dicam luculentius subsidium; quod cuilibet suspecta allata a Leusd. Vulgatæ loca cum fonte comparanti facile patere potest. Vide Eccle. IX. 1. Gen. XXXVII. 25. XLVIII. 16. XIV. 18. IV. 13. &c.

(1) Luth. *neque alia doctrina in Ecclesia tradi, aut audiri debet, quam purum Dei verbum, hoc est Sacra Scrip.* Zvvingl. *mox incipis clamare, Patres, Patres, nempe Patres sic tradiderunt, sed ego non Patres tibi refero, non matres, sed Dei verbum requiro.* Consule hæc, & alia plura in hanc rem Hæresiarcharum testimonia apud Leon. Allat. in Hottingero fraudis, & imposturæ convicto.

(2) *De originario, & authen. textu gloriantur* (Hæretici), *Græcos, Hebraicosque codices ostentant, istos solos ut sinceros apud gregales venditant; latinos vero nihil pensi habent, ut putidum fungum aversantur, & convitiis quibuslibet onerant,* Morin. Exerc. Bibl. P. I. Cap. I.

ſionibus, ſed ipſo primigenio textu, cui omni ſtudio, & contentione vacant, nos Pontificios aggrediuntur; quo Hebraica litteratura, in qua dexterrimi potius ſunt, & grammatica primigeniarum dictionum vi, & ſignificatu, cuius ſunt tenaciſſimi ſectatores, falſa, ſi queunt, dogmata tueantur. Hebraicum vero textum, quippe qui incorruptus eſt, utrique admittimus, eſtque tum apud nos, cum apud heterodoxos omnes authenticus, & indubiæ omnino fidei, auctoritatiſque, unde pro ſuo quiſque noſtrum placito ratiocinatur. Qui ergo ſolis verſionibus, aut etiam Vulgata abſque Hebraico textu, abſque Hebraicarum litterarum præſidio Theologica cum Hæretico doctore a nobis concertatio inſtitueretur? Quod idem porro multo magis de Hebræis dicendum eſt. Nam omnibus conſtat, reiectis quibuſcumque verſionibus, uni eos Hebraico textui tenacius adhuc adhærere. Hebraicorum autem fontium præ qualibet verſione uſum, dignitatem, vim, atque emolumentum data opera perſequi in ſuo Sculchan Acheſeph R. Aben Caſpi ſuperius deteximus: quo opuſculo ſuorum veluti Hebraiſtarum diſciplinæ honeſtatem oſtendit. Vulgatum vero interpretem מתרגם הטועים a Judæis appellari jamdudum eruditi obſervarunt. Sed quis unquam putavit aut Vulgatam, aut aliam quamvis ex noſtris præcipue translationibus apud Hebræos fidem, auctoritatemque obtinere, aut poſſe ipſos alio ab Hebraico textu revinci? Unde Origenes, *conamur*, in-

quit (1), *non ignorare, quas habent ſcripturas, ut cum Judæis differentes non proferamus ea, quæ in eorum exemplaribus deſunt, ſed ſimul utamur iis, quæ penes ſe habent ... Si enim eiuſmodi fuerit noſter ad ea, de quibus nos inter & ipſos controverſia eſt, apparatus, non contemnent, neque, prout ſolent, irridebunt eos, qui credunt ex gentibus, quod vera, & quæ apud illos ſcripta extant, ignorent.* Fruſtra ergo ad eludendum Hebraicarum litterarum uſum, qui neceſſario ad Hebræorum, ſive Hæreticorum convictionem requiritur, uſus verſionum proponitur.

Quod ad alteram vero quæſtionem ſpectat, Hebraici codices ullo procul dubio maius nobis adverſus Hebræos præſertim, quam Vulgata, ceteræque verſiones præſidium afferunt; quod præſtantiſſimi etiam noſtræ communionis Doctores non diffitentur. Pudebat Hieronymum contentionis quorundam, qui hebraicam arguebant veritatem, ac ſi ab Hebræis corrupta eſſet. Nam *Judæi*, inquit (2), *contra ſe legunt, & quid pro ſe ſit, neſcit Eccleſia.* Raymundus vero Martini celebris Judæorum oppugnator, *rurſus vero*, inquit (3), *noverint, qui eiuſmodi ſunt, in plurimis ſacræ ſcripturæ locis veritatem multo planius, atque perfectius haberi pro chriſtiana fide in litera hebraica, quam in translatione noſtra*; quam Raymundi ſententiam in eruditis ſuis ad eius Pugionem Obſervationibus, & notis præclaro exemplo ex Habacuco

(1) Epiſ. ad African. T. I. p. 17.
(2) In Cap. XVII. Jerem.
(3) Pug. fid. §. 14.

petito confirmat Voisinius, quod & nos inferius afferemus. Bellarminus etiam utroque recentior eadem fassus est (1): *sæpe codices Hebræi magis vexant Hebræos, quam Græci, aut Latini.* Quod facillimum nobis est selectis productis exemplis corroborare.

Gen. I. 1. Habet Vulgata: *creavit Deus*. Hebraici autem codices: *creavit* אלהים *Elohim*, quod nonnullis nostrorum Theologorum maximum ad evincendam adversus Hebræos divinarum personarum pluralitatem præsidium videtur adferre. Etenim plurale est *Elohim*, & ut optime inquit R. Chunà in Berescith Chetanà super hæc verba, *nisi hic sermo scriptus fuisset, nunquam licuisset dicere* ברא אלהים *creavit Dii.* Et R. Scimnon apud Buxtorfium (2) ab eius filio R. Eliheser de ea, quæ ibi subest sive anomalia, sive mysterio interrogatus, coactus est tandem in hæc verba erumpere (3): חזי רזא דמלה תלתא דרגין אינון וכל דרגא ודרגא בלחודוי ואף עלגב דכולא חד ומתקשרי בחד ולא מתפרד *adverte secretum dictionis: tres gradus sunt, & quisque gradus per se distinctus, seu ex seipso est, & nihilominus omnes unum sunt, & colligati in unum, neque unus ab altero separatur.* Quo spectat quoque Cabbalistarum expositio, quos vocant Hebræi Chachamè Emeth *sapientes veritatis*. Porro hi dementes literam *jod* ex Elohim, qua decem divinæ juxta ipsos midoth, seu

(1) Apud eund. Voiſ. Obſerv. ad Pug., ubi de Heb. T. Integr.
(2) Sub fin. Gram. Chald. Syr.
(3) Zohar in Lev. Sect. Acharè moth col. 116.

ſeu proprietates innuuntur, legunt אל הם El hem *Deus ipſi.* Quamobrem R. Bechai in Gen., אלהים, inquit, על דרך הקבלה · · שתי מלות אל הם *Elohim caballiſtice conſtituit duas dictiones El hem.* Quacunque via hoc fiat, & quodcumque ſit præſidium, quod ex hac voce perſonarum pluralitati comparamus, ex uno id tamen primigenio textu, non ex noſtra translatione ſuſcipimus.

Gen. III. 25. *Ipſa conteret caput tuum.* Heb. T. הוא *ipſum* ſemen mulieris, vel Meſſias ex una muliere prodeundus. Unde ſalutare hoc Chriſti officium, quod Hebræi inficiantur, adverſus ipſos urgemus.

Gen. IV. 1. *Poſſedi hominem per Deum.* Heb. T. קניתי איש את יהוה, quod nonnulli vertendum putant: *poſſedi hominem Deum*; quo Evæ de Meſſiæ divinitate traditio, & fides luculenter oſtenditur. Ita vertit Lutherus, ſi Simonio (1) credimus, *aquiſivi hominem, qui Dominus eſt*, ſecutus juxta eundem Simonium Cabbaliſticos quoſdam Doctores, qui ita reddiderant, de Meſſia agi ibi exiſtimantes.

Eccle. XII. 1. *Memento Creatoris tui.* Heb.T. בוראיך *Creatorum tuorum.* Item Eccle. II. 12. *Quid eſt homo, ut ſequi poſſit Regem factorem ſuum.* Heb. T. אשר כבר עשוהו *Qui jam fecerunt eum.* Et Pſ. CXLIX. 2. *Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum.* Heb. T. בעושיו *In factoribus ſuis.* Iſaiæ demum LIV. 5. *Quia dominabi-*

(1) Hiſt. Crit. V. T. Lib. II. Cap. XXIII.

tur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, & Redemptor tuus. Heb. cod. עשיך; & גואליך in plurali; ex quibus iterum Theologi adversus Hebræos argumentantur.

Psal. II. 12. *Aprehendite disciplinam.* Extat in Hebræo נשקו בר *osculamini filium*, quo nil luculentius ad ostendendam Messiæ divinitatem afferri adversus Hebræos potest. Nam inferius beati etiam dicuntur, qui in eo confidunt. Optime Antonius Brucioli (1). *Baciate. In questo verso ultimo quello che dice, baciate il figliuolo è uno tropo, per il quale dal segno si intende quello, che pel segno si rapresenta, perche nel baciare la mano de' Re, o gran Signori, anchora hoggi si testifica volere essere nella fede, e potesta del Re. Et dice figliuolo perciocche esso indusse di sopra il padre dicente figliuolo mio sei tu . . . . E nessuno può negare che il Propheta habbia cantato di questo figliuolo, non essendo David altro che huomo, per la quale cosa non sarebbe beato ma maledetto chiunque si confidassi in esso. Adunque questo Re, & figliuolo del quale canta questo psalmo sotto la figura di David è l'unigenito di Iddio Christo Giesu Iddio vero, nel quale coloro che confidano hanno vita eterna.*

Psal. XXXIX. 7. *Aures autem perfecisti mihi.* Adversus Hebræos conditio servi a Messia suscipienda luculentius ex Hebraicis codicibus evincitur אזנים

(1) Ex Ital. eius Comm., quod cum litterali ej. Italica Biblior. interpret. prodiit Ven. 1540. ad h. l. Tom. II.

כרית לי *aures perforaſti mihi*, habita ratione vetuſtæ apud Hebræos conſuetudinis, qua mancipia voluntaria, quæ 7. remiſſionis, & libertatis anno e dominorum domibus non egrediebantur, juxta divinam legem (1) perforatis ipſis auribus perpetuæ hoc ſigno ſervituti addicebantur.

Iſai. IX. 7., ubi de Meſſia: *multiplicabitur eius imperium.* Habent codices Hebraici: לםרבה cum *mem* clauſa in medio dictionis, ſecus ac grammatica analogia poſtulare videatur. Poſtquam Talmudiſtæ in Tract. Sanhedrin (2) christianos Theologos docuerunt ullum hic Meſſiæ myſterium foveri, plura hi ex ea voce eruerunt, præſertim vero tempus ſtatutum ſexcentorum annorum ab eo tempore ad Meſſiam, nomen matris Meſſiæ, & ipſius virginitatem. Conſule Galatinum De Arcanis Catholicæ veritatis (3)., & Glaſſium in Philologia ſacra (4).

Iſai. LIII. 4. *Percuſſum a Deo*, ſcilicet Meſſiam, de quo ſermo ibi a Propheta inſtituitur. Heb. T. מוכה אלהים, quod nonnulli præclare pro Meſſiæ divinitate commode verti poſſe exiſtimant *percuſſum Deum.*

Jer. XXIII. 6., ubi iterum de Meſſia agitur: *& hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Ad agnoſcendam Meſſiæ divinitatem urgentur

(1) Conſule Deut. XV. 16. 17. & Exod. XXI. 6.
(2) Gemarà Sanhed. Cap. XI. Excerp. Coccei. XVII. p. 324.
(3) Lib. VII. Cap. XIII. & XIV.
(4) Lib. I. Tract. I. §. 1. n. 2.

Hebræi ex primigenio textu, ubi extat Scem Hemphorasc, vel tetragrammaton nomen Jeohà, יהוה צדקנו quod uni Deo tribuitur, vel ut recepta Rabbinorum expressione utar, הוא שם מיוחד לו יתעלה *nomen est proprium ipsius Dei excelsi.* Ita, ut unum e multis afferam, R. Jos. Albo in libro Hikkarim (1), postquam demonstrat cetera nomina dici de Deo, & de aliis etiam præter Deum, שם בן ארבע אותיות, subdit, אי אפשר שיצדק על זולתו כלל בשום צד לפי שהוא שם יאמר עליו ית׳ מצד חיוב מציאותו *nomen 4. litterarum impossibile est, ut dicatur de alio præter Deum ulla ratione, quia hoc nomen dicitur de Deo ex parte, vel respectu necessariæ ipsius existentiæ*, aut ut præclare inquit R. Dav. Kimchi (2), כי שמו הוא והוא שמו שם ארבע אותיות *quia nomen eius est ipsemet, & ipsemet est nomen suum*, scilicet nomen τετραγράμματον. Urgentur Crellius, ceterique Ebionitæ, perperam propterea contendentes in scripturis nunquam Dei filium sacrosancto eo nomine appellari, ne, si istud concederent, Deum fateri cogerentur, quem purum hominem, & creaturam arbitrabantur. Item nomen אל de solo Deo dici, ut יהוה, demonstravit jam Hieron. ad Cap. Esai. IX., eo quod apud eundem Proph. Cap. XLV., ubi dicitur: *Ego sum Deus, & non est alius præter me*, nomen ibi אל usurpetur. Iterum ex eo Es. Capite, ubi Messiæ nomina, & caracteres describuntur, maximum ex pri-

(1) Part. II. Cap. XXVIII.
(2) Comm. in Ps. VIII. 1.

migenio Heb. T. pro Chriſti divinitate adverſus eius hoſtes momentum eruitur; quod ex verſionibus nequit, ex quibus non ſat intelligimus nos, num אל extet in ſacro textu, an vero אלהים, quod creaturis etiam, & hominibus accommodatur.

Dan. IX. 26. *Deficiet hoſtia*, quod nonnulli de ipſo Meſſia accipiunt in medio hebdomadis defecturo. Hebraici codices adverſus Hebræos docent Meſſiam morte ſua, quæ eſt ſacrificium pro peccatis noſtris Deo Patri offerendum, aboliturum vetera omnia ſacrificia, & oblationes. ישבית זבח ומנחה *Ceſſare faciet, vel abolebit ſacrificium, & oblationem*. Optime Hebraicum textum refert Syriaca verſio:

ܘܢܒܛܠ ܕܒܚܬܐ ܘܩܘܪܒܢܐ .

Habacuci I. 5. *Admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cum narrabitur*. Quam luculentius ad oſtendendam Judæorum incredulitatem habent primigenii codices! תמהו כי פעל. פועל בימיכם לא תאמינו כי יסופר *Obſtupeſcite; quia opus operor in diebus veſtris, quod non credetis, cum narrabitur.*

Demum Math. II. 23. *Et veniens* (Jeſus) *habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*. Ut Hebræis reſpondeant ſacrum noſtrum ſcriptorem confictæ a ſe prophetiæ accuſantibus, ad Samſonem nonnulli confugiunt Meſſiæ typum, qui

Jud. XIII. 7. *puer Nazaræus ab infantia ſua appellatur*; verum non animadvertunt hi Nazaræum in Evangeliſtæ textu non dici quaſi נזיר cum zain *ſegregatum*, *Deo dicatum*, ſed נוצרי cum tzade Natzarenum, ſeu incolam Natzareth, ut præter Syriacam verſionem ipſum etiam Hebraicum Evangelium a Tilio editum refert למלאת מה שנ' על פי הנביא כי נצרת יקרא. Luculenter ex Hebræo fonte ora iniquis obtrectatoribus obturantur, ubi Iſ. XI. 1. vocatur Meſſias nomine נצר *Netzer*. ויצא חוטר מגזע ישי ונצר משרשיו יפרה *Et egredietur virgula de trunco Iſai*, *&* *Netzer*, *ſive ſurculus ex radicibus eius effloreſcet*, unde argumentari adverſus Hebræos allegoriis, & analogiis ſtudentes, & pro methodo ea ætate recepta Mathæus potuit. Nam & civitas Nazareth, cuius incola fuit Jeſus, ab Hebræis N*etzer* appellabatur, unde ille נוצרי Notzeri *Nazarenus* dicitur. Quæ ſingula porro ipſi iidem Hebræorum doctores fatentur. David de Pomis in Lexico (1): נצרי מי שנולד בעיר נצר הגליל הרחוק מירושלים דרך שלשת ימים *Notzeri*, ſeu Nazarenus, *qui natus eſt in urbe Netzer Galilææ diſtante a Hieroſ. itinere trium dierum.* Et R. Elias Levita in ſuo Tisbi (2) נוצרי הנוצרים אומרים שישו נולד בבית לחם ונתגדל בעיר הנקראה בלשונכם נצורית ובלשוננו נצר *Notzeri*. *Nazareni*, *ſeu Chriſtiani dicunt Jeſum*

(1) Cit. a Spanhem. Dub. Ev. Part. II. p. 602., & ex eo ab Alting. Schilò p. 264.

(2) Ad hanc voc. pag. Edit. Hebræc-Lat. Fagii 119.

natum esse in Bethlechem, & adolevisse in urbe appellata lingua eorum Nazareth, sed lingua nostra Netzer. Immo recte jam observavit Altingius (1) in Sanhedrin (2) quempiam Jesu discipulum nomine Netzer Magistri caussam, & innocentiam, quem haud insitato Talmudistarum more (3) suo nomine Netzer vocat, & intelligit, hoc eodem Esaiæ loco tueri, ex allusione & ipse, atque analogia argumentans occidendum non esse Netzer, quod dictum sit *Netzer*, idest surculus *e radicibus eius germinabit.* Consule Hier. ad citat. Mathæi locum, Huet. Dem. Ev. Prop. IX. Cap. XVI., & Alting. Schilò Lib. IV. C. XII. & XIII.

Quod de Vulgata diximus, idem porro de ceteris versionibus dicendum est. Nam & Ps. II. 12. verterunt LXX., aut saltem auctores Græcæ interpretationis LXX. viris tributæ, quicumque ii sint, δράξασθε παιδείας; quodque adhuc magis mirandum est, Isaiæ IX. 6., ubi in primigeniis, translatisque aliis codicibus vocatur Messias Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Princeps pacis, Pater futuri seculi, cuncta pene reticet eiusmodi Messiæ nomina, unde eius divinitas, aliaque eruuntur, Græca LXX. Interpretum translatio; expressis enim prioribus per Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, cetera iis verbis complectitur ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ ὑγίειαν αὐτῷ, quæ nihil ma-

(1) Cit. superius loco.
(2) Cap. VI. fol. 43. 1. apud eund. Alting. Cap. XII., & Schoëtgen. Horis Heb. Talm. de Messia Lib. IX. Cap. II. §. 16.
(3) Eod. Tract. Sanhedr. Cap. XI. Exc. Cocc. 36. p. 359. Doctores suo eorum nom. Messiam appellant, Schilà Schilò, Chaninà Chaninà, Jannai Jinnon &c.

gnificum de Meſſia portendunt, & vehementer a fonte recedunt. Ita & Haggæi II. 6., ubi habet Hebræus textus עוד אחת מעט היא *adhuc unum parum, vel puſillum eſt*, ut veniat deſiderium cunctarum gentium, quo adeo Hebræi ad agnoſcendum proximum Meſſiæ adventum urgentur, legit verſio Syriaca: ܬܘܒ ܚܕ ܙܒܢ *adhuc ſemel, adhuc aliquando, vel adhuc unum tempus*; in quibus verbis totum perit, ut quiſque videt, maximum illud præſidium pro brevi Chriſti ortu, quod in hebraicis reperitur. Sed ſat, ut puto, exemplis confectum eſt, nec eadem facilitate, & vi, eodemque præſidio religionis hoſtes ex verſionibus, quam ex Hebraicis codicibus poſſe aptiſſime refutari, quod poſteriori loco demonſtrandum ſuſcepimus. Quæ ſi ita ſunt, iniuria a nonnullis, qui aliter ſentiunt, Hebraicarum litterarum uſus ad fidei noſtræ hoſtium convictionem contemnitur.



CAP. VII.

CAP. VII.

Sed & perperam Heb. litt. usum ex disputationibus cum Hebraeo, aut Haeretico confirmari, quae nonnisi rarissimo contingunt, aut si contingunt, obstinatissimi tamen ii sunt, nec convertuntur, aut demum si quispiam est, qui convertatur, vel malus is Christianus est, vel turpiter redit ad pristinam superstitionem.

Atqui, regerunt, raro omnino contingit eiusmodi cum Hebraeo, aut Haeretico disputationem inire. Et si contingit, obstinatissimi ii sunt Hebraei praecipue, & rarissimo convertuntur; ut frustra jam laboraremus, & absque ullo emolumento difficillimam linguam addiscere. Si vero quispiam est, qui fidem nostram suscipiat, constat jam vix reperiri inter eos, qui constans in fide bonus Christi assecla esse videatur. Quot enim conversionem simulant, & dum in Christianorum corpus admitti exterius patiuntur, animo tamen Judaismum profitentur? Plurima huiusce simulationis, & fraudis exempla in memorabilibus Judaicis (1) Schudtius, & in notis ad Theriacam Judaicam Zalman Zevi (2) Joannes Wulferus attulerunt. Quot hinc relabuntur turpiter, quorum iterum exempla habes apud Difenbachium (3),

(1) Par. III. Lib. VI. Cap. XXIX. p. 83. & seqq., & Par. I. p. 144.
(2) Pag. 333. & seqq., & 207.
(3) In Judaeo convertendo p. 5. seq.

Serpilium (1), Basnagium (2), & eundem Schudt. (3)? Itaque, quoniam præcipue nihil hic per disputationem efficitur (4), satius est nos nullam disputando eorum conversionem tentare, sed rem totam divinæ gratiæ, ac dispensationi committere; ne dum una disputatione, non divina motione trahuntur, malos Christianos, & Apostatas communioni nostræ acquirere videamur. Hæc ad eludendum eum Hebraicæ litteraturæ usum, quem superius constituimus. Quæ singula examinanda nunc breviter, & excutienda sunt. Et primum quidem haud intelligo, quare tam raro fieri, ac difficulter putent, ut nulla nobis cum Heterodoxo, aut Hebræo controversia contingat. *Frequenter accidit*, inquit Hieronymus (5), *ut habemus pugnas legis*. In medio nostrum tum Hebræi, tum Hæretici reperiuntur. Quid facilius, & frequentius Hebræum, vel Hæreticum adloquentes in controversorum dogmatum sermonem incidere? Immo raro sibi occurrere, ac convenire videntur Religionis hostes, quin aliquod de ea colloquium instituant. Nec enim alia res adeo homini cordi est, quam sua religio; ut propterea etiam eo ferri plebeiorum, & muliercularum sermones, si occasio contingat, ocu-

(1) In Judæo perverso, & converso p. 24. seq.

(2) Histoire des Juifs T. IX. p. 1094. Hebræor. reditum ad pristinum vomitum Concilii etiam Agathen. Cap. 34., & Nicen. II. Act. 8. auctoritate confirmat, & clariorum nonnull. virorum exemplis p. 1096. seq.

(3) Memorab. Jud. Par. IV. Continuat. II. p. 250. apud Wolf. Biblio. H. Tom. II. p. 1056. & 1058.

(4) V. Schudt. ib. Par. II. Lib. VI. p. 117. seq.

(5) In Ep. ad Tit. III. T. IV. Oper. p. 438.

lis ipsi nostris intueamur. Quis ignorat impudentiores esse Hebræos, & Hæreticos, quam ut aliquis mente assequi valeat? Atque Hebræi quidem suam ipsi impudentiam fatentur in Tractatu Betza (1), ubi tres enumerat R. Scimhnon ben Lakisc res impudentia celebres, *Israelitas inter populos*, *ranas inter animalia*, & *gallum inter volucres.* Quare ergo adeo dubitabimus, quin sint ipsi nos etiam quum primum non cogitamus, aggressuri? Aggrediuntur heu! nimium, & eo facilius, securiusque, quo Hebraicarum litterarum inscientes nos magis intelligunt, ut fucum nobis faciant, & malam caussam in nostra ignoratione felicius patrocinentur. In una linguæ sanctæ peritia adeo hostes nostri gloriantur, ut unum eorum, sive Rabbinum dixeris, sive Ministrum, millenos Romanos Theologos facile superaturos aperte, & sæpe clamitantes audiverim. Unde bone Deus! tanta fiducia, nisi ex nostra linguarum inscitia, & despectu? Quid miramur hæreticos suum in hac re auctorem, & parentem sequutos? Lutherus ob unam cum hostibus suis, nobis præcipue, ineundam disputationem adeo in hac lingua fidebat, ut aperte nolle se ea carere infinitis aureorum millibus fateretur. Audi, si placet, Hæresiarchæ verba (2): *si aliqui futuri sunt Theologi, sicut necesse est, . . . oportet eos esse munitos contra Papam, & aliud odiosum homi-*

(1) Pag. 25. apud Wolf. in Observ. Miscell. de Judæis Tom. II. Biblio. H. pag. 1105.

(2) In Psal. XLV. Tom. III. Lat. Jen. edit. fol. 444.

num vulgus, qui cum unam hebræam vocem ſonare didicerunt, ſtatim putant ſe magiſtros huius ſanctæ linguæ. Ibi niſi eam nos tenuerimus, tanquam aſinis illudent, & inſultabunt; ſi autem nos quoque muniti fuerimus cognitione huius linguæ, poterimus eis impudens os obſtruere. . . . . Ibi certe cognitione linguæ Hebrææ opus erit; ſcio enim quantum mihi contra hoſtes meos profuerit, quare hac quantulacumque cognitione infinitis aureorum millibus carere nolim. Quod nunc igitur obſervare juvat, ſcientia linguæ ſanctæ quandam adverſariis noſtris in diſputando fiduciam, & ſecuritatem tribuit, quæ eos allicit ad ineundam eo frequentius pugnam, quo ſecuriorem victoriam expectant. Quod ſi etiam raro eiuſmodi controverſiæ contingant, parum ne erit vel ſemel nobis, ſanctiſſimæque fidei noſtræ turpiſſimam ignominiam parare? An parum hanc hoſtibus gloriam, hoc falſæ ſectæ ſubſidium, atque emolumentum adquirere, quæ omnia fiant illis vel ex uno eventu perpetua, nobiſque æternum exprobranda? Si raro jam contingit cum Gentili, cum Hæreticis diſputare, quare ergo adhuc ipſi Gentilium, Hebræorum, Hæreticorum confutationi ſtudemus? Itaque ſi in hoc, non eius, quod accidit, rationem habemus, ſed eius potius, quod aliquando accidere poteſt, quare idem in pari cauſſa ſentiendum non eſt, etiamſi raro, etiamſi nunquam pugna ipſa, & concertatio contingat? Chriſtophorus Cellarius hanc eandem quæſtionem inſtituens in præfa-

tione ad ſuam Sacræ Philologiæ Sciagraphiam, qua illius neceſſitatem perſequitur. *Ego vero*, inquit, *ſæpiſſime dixerim, & toto die Theologo viro cum adverſariis, non viva quidem ſemper voce, attamen muto congreſſu depugnandum eſſe. Legenda, interpretanda, examinanda, refutanda ſunt adverſariorum ſcripta. Qui hoc digne præſtabit linguæ ignarus, ex qua illi ſua fundamenta depromſerunt?*

Quod attinet autem ad ea, quæ ſubiiciuntur, quis in primis omnes Hebræos, aut Hæreticos eiuſmodi eſſe aſſeverare audeat, cuiuſmodi ſibi fingunt, qui ad vitandam harum litterarum diſciplinam ſuperius ratiocinabantur? Et Judæorum quidem converſorum catalogum nobis plurimi auctores contexuere, quos commemorat Chriſtophorus Wolfius (1). Nihil ne ad eorum converſionem contulerunt diſputationes, quas cum illis clariſſimi viri habuerunt? Nihil Philebræorum noſtrorum conciones, & ſermones, qui commendabili Pontificum, & Principum zelo, & ſolertia in præclariſſimis Europæ urbibus factæ ſunt, & jugiter fiunt? Immo omnes alii converſionum modi miri ſunt, & ſingulares, hi autem per concionem, aut diſputationem crebriores ſunt, quotidiani, conſueti, quibus in Judæis convertendis eorum ſalutis promotores communiter utuntur. Pertinet porro ad Theologum eos confutare, os occludere, momenta diſſolvere; convertere autem quis neſcit totum eſſe

(1) Bibliot. Heb. Tom. II. p. 1057.

verticordis gratiæ opus? Eſto ergo nunquam etiam converterentur:

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet (1).

Victores ſemper erimus, ſive convertantur illi a ſtultitia ſua, ſive luci obſtinatiſſimi reſiſtant. Poſſumus nos intellectum ſuadere, productiſque momentis convincere. Si in eis voluntas rationi reluctans huius dictamen ſequi nolit, reluctantem trahere ſolius Dei eſt, cuius eſt hominum converſionem, & ſalutem operari. Interim vero quis divinæ gratiæ, ac voluntati limites, & modum ponat? Deus eorum mortem non vult, ſed potius ut convertantur, & vivant. Et ſi nunc, ut teſtimonio nobis ſint, & codices veritatis in eorum, quæ profitemur, confirmationem nobis portent, pravis eorum ſenſibus, doctrinæque relinquit, tamen ſperandam Hebræorum converſionem plurimi ex ſcripturis præcipue ſcriptores confirmant, quorum nomina idem, quem ſupra commemoravimus, Wolfius exhibuit (2). Jam vero quamquam nolit modo Deus univerſalem illam eorum converſionem ultimis diebus eius diſpoſitione reſervatam, quid nihilominus vetat, quominus a divina miſeratione, & clementia particulares converſiones expectemus? Non cœpit nunc Deus erga Iſraeliticum populum immitiorem ſe oſtendere. An-

(1) Ovid. Triſt. Lib. III. Eleg. V.
(2) Biblio Heb. Vol. II. p. 1067. ſeqq.

tea tamen plurimæ, eæque insignes Hebræorum conversiones contigere. Non est ergo, cur debeamus conversionum media negligere. Relabantur nonnulli; quot Ex-Judæi sinceri, & constantes in Ecclesia, susceptaque fide perseverant (1)? Sed mali, inquis, Christiani sunt. Bonorum utique copia erit jugiter longe minor. Sique pauci sunt, nec tu miraris, ex Christianis ipsis, qui optimos se, & perfectos Christi sectatores gerant, an in exiguo conversorum Judæorum numero multos expectas? Mali sint; in luce tamen sunt, & via, qua possunt, si velint, salvari, quod in Judaismo non poterant. Quod nemo dubitat, quin maximum sit beneficium, unde omnis eorum beatitudo, & salus, si pœniteat illos, & conterantur, expectari queat. Verum utut obstinatissimi hostes fingantur, qui convertantur difficulter, aut si convertuntur, redeant ad pristinam superstitionem, illud tandem certo eorum confutatione obtinemus, quod nequit non duci gravissimum impensæ operæ emolumentum; ut fideles nostri, si qui sunt nutantes, in fide firmentur, arguantur contradicentes, impudentia mentientium ora obstruantur, sanctissimaque demum religio, & fides ab obtrectatorum dicteriis, & contumeliis vindicetur. Quo quidem officio quid Theologo dignius, tuendæque Ecclesiæ dignitati, fideique honori accommodatius excogitari potest?

(1) V. Scudt. Memorab. Jud. Par. IV. Contin. II. p. 287. seqq. Par. II. Lib. 6. c. 29. apud Wolf. ib. p. 1058.

CAP. VIII.

Vix sola Biblia reperiri lingua sancta exarata; carere autem Hebræos libris in vario scientiarum genere impressis, aut si quos habent, putidissimis tantum commentis scatere.

Equidem, ut apposite omnino superiori capite monebat Cellarius, etsi exterius ulla cum Hebræis fidei concertatio non contingat, tamen eorum scripta legenda nobis sunt, quo ipsorum sive sententia, sive momenta dignosci a nobis, ac refutari queant. Quod quamquam non contemnendum sit, usus nihilominus Hebraicorum librorum multiplex adhuc est, & latius patens, ut inferius constabit; unde alterum Hebraicar. litterar. emolumentum repetitur. Verum quod olim universim de linguis Orientalibus asseruit Hottingerus vix eas habere hostem periculosiorem, *quam vanissimum paupertinæ suppellectilis opprobrium* (1), nec vulgus tantum, sed ipsos quandoque eruditos ægre capere, quod in illas operam, studiumque nostrum impendamus, *cum non sit operæ pretium, ob unius, alteriusque libri examen tempus* πολυτελέστατον ἀνάλωμα *aliis subtrahere occupationibus*, utinam in Hebraicis litteris locum non obtineret? Sunt enim, qui ab his abducuntur, propterea quod vix sola Biblia reperiri putant lingua sancta exarata, carere autem Hebræos libris

(1) Bibliot. Orient. Cap. I. sub init.

libris in vario ſcientiarum, ac literaturæ genere impreſſis; cuiuſmodi plures extant apud ceteras nationes Hebræorum gente longe cultiores. Aut ſi qui extant, exiſtimant tamen nonniſi putidiſſimis commentis ſcatere. *Quotuſquiſque fere eſt*, inquit Cartvvrightus (1), *qui ſi de Rabbinis mentionem faciat, non de iis ita ſe ſentire oſtendat, quaſi præter commenta, ac fabulas fruſtra quicquam in eis quæreretur?* Nec obſcuros tantum, ſed & clariſſimos viros id ſentire dolebat olim vehementer Petavius ſcribens ad Voiſinium (2). *Sunt plerique nec obſcuri, nec contemnendi ceteroquin homines, quibus Hebraiſmi ſtudium vel omnino diſplicet, vel tantum in eo collocari operæ minus profecto placet; quod ipſum . . . ſentire illos animadverti . . . quod ita perſuaſum habent nihil in reconditiore Rabbinorum ſuppellectili præter commentitias res, & aniles, ac ludicras contineri fabulas.* Porro ad primum quod attinet, quot, & quam optimi ab Hebræis libri prodierint, quin longam hic texam eorum ſeriem, abunde, & præclare demonſtrant, quotquot Hebraicas, & Rabbinicas Bibliothecas ediderunt. Bibliothecam ea multo ampliorem, quam Buxtorſius reliquerat, vulgavit commemoratus Hottingerus (3), quam Hebraicæ, & univerſim Orientalis literaturæ exprobra-

(1) Præf. ad Electa Targumico-Rabbinica.
(2) Extat hæc Petavii ad Voiſ. Epiſt. præfixa Theol. Judæor. eiuſd. Voiſin.
(3) Eſt II. Pars III. Lib. Smeg. O., & ſeorſim edita ſub tit. Promtuar. ſive Biblio. Orient. 4. Heild. 1658.

toribus opposuit (1). Sed quid Buxtorfium, & Hottingerum memoro? Ut nihil de Plantavitio dicam (2), sequuti sunt Bartoloccius, & Wolfius (3), qui diligentiore navata opera immensam adeo Hebraicorum librorum, atque auctorum segetem oculis nostris obiecerunt, ut prorsus mirari subeat, Hebræos duræ servituti subiectos, & miseros tot, & tanta, quæ non solum legi, sed nec commode numerari queunt, conscribere potuisse; & quidem potuisse in omni literarum, ac scientiarum genere. *Ut de Hebræis fidem faciamus, confidenter dicimus, nullum esse genus literarum, quod Judæi suis ætatibus, & gradibus reliquerint intactum*; verba sunt commemorati nuper Hottingeri (4), qui id, quod dixit, plenissime demonstravit, incipiensque ab iis, qui in Theologia Biblica, Talmudica, vel Traditionali, Didactica, Elenctica, Leiturgica, Practica, & Catechetica, tum demum in Kabbalistica floruerunt, distinctis classibus, rectoque ordine ad enumerandos aliarum scientiarum auctores, & libros processit. Et nisi insignis esset Judaicorum scriptorum numerus, unde, quæso, tot ubique terrarum Hebraicæ Typographiæ etiam a primis huiusce artis temporibus, quarum

(1) Ita hunc suum scop. explicat Cap. I. Bibliot.
(2) Post Florileg. Rabbinic. exhibet Bibliot. Auct. Hebr.
(3) Bartolocc. edid. Biblio. Rabbinic. Mag. Romæ IV. Vol. fol., cui Imbonatus supplement. addidit, quod efficit Volumen V. Wolfius Hamburgi edidit 1715-33. 4. IV. Tom.
(4) Com. Cap. I. Biblio. O.

loca innumera idem Wolfius enumeranda suscepit (1)? Quod si sola Hebraica Biblia extarent, negligenda ne hæc lingua propterea foret? Nisi negligendi sint sacrosancti Bibliorum fontes, ut nulla eos ratione in tanta versionum dissensione, & obscuritate consulere, nec adversus Ecclesiæ hostes solis fontibus addictissimos uti iisdem teneamur. Nec nos porro in Hebræorum scriptis intelligendis, sed in sacris eorum codicibus præcipuum, ac potissimum huius linguæ usum collocavimus.

Quoad alterum vero, quod obiicitur, siquæ extant Hebræorum scripta, nonnisi putidis ea commentis scatere, mirandum adeo non est ita sentire eos, qui hebraice imperiti in illis pervolutandis, legendisque operam nullam, nullumque studium posuere. Miror potius, quod iniquiorem adeo ceteris omnibus in ea se prodiderit Forsterus, qui erat in Hebraicis litteris versatissimus, atque hebraicorum librorum contemptum is foverit, & auxerit, cuius intererat quammaxime illorum usum vindicare. Nam non solum asserit Rabbinos, quod ad sacræ scripturæ intellectum, atque etiam linguæ Hebraicæ cognitionem attinet, præstitisse, *quod laudem mereatur, omnino nihil* (2), sed Christianorum insuper incogitantiam, & socordiam in iis legendis admiratur, *in quibus nulla lux, nulla notitia Dei, nullus spiritus, nulla ullius disciplinæ, seu artis vera, ac solida scientia,*

(1) Biblio. Heb. Vol. II. p. 959.
(2) Præf. ad suum Lexic. Hebr.

nulla linguarum, ac nequidem Hebrææ linguæ eſt cognitio. At merito Forſterum inſcitiæ, temeritatiſque eruditorum plerique, & quotquot ullam in Rabbinorum lectione exercitationem obtinuerant, accuſarunt. Etſi enim Hebræi a fabulis excuſari nequeunt, quod in ipſis jam ſuo tempore reprehendebat Apoſtolus (1), tot tamen, & tanta utilia, & ſana, quæ in uſum noſtrum trahamus, in eorum ſcriptis deprehenderunt, ut haud ipſi intelligerent, cur laboris in horum lectione inſumpti pœnitere eos oporteret. Quot ſunt ſcripturarum loca, difficillima ſane, & obſcuriſſima, quibus maximam lucem afferunt Rabbinorum Commentaria, & optime explicant? Norunt id, ſi Forſterus ignorat, qui iis utiliter uſi ſunt, Lyranus, Burgenſis, Maſius, Watablus, Munſterus, Junius, Leo Juda, Malvenda, Druſius, Grotius, De Dieu, Genebrardus, Steuchus, Serrarius, Bonfrerius, Vilalpandus, ſexcentique alii tum ex noſtris, tum ex heterodoxis ſacri critici (2), & interpretes, qui, quod maximi ſibi uſus fuerint Judæorum ſcripta, ſummis propterea ea elogiis, ac laudibus extulerunt. Ita Maſius Judæos *acutos ſcripturæ explanatores* appellat (3). Cunæus (4) eorum per-

(1) Ad Tit. I. 14.
(2) Vide, ſi lubet, magnum, & cel. Sacrorum Criticorum opus, in quod curarunt Angli plerorumque labores exegeticos congerere, qui ad ſacram exegeſin linguarum peritiæ, & Rabbinicæ lectionis graviſſimum ſubſidium attulerant.
(3) Comm. in Joſ. Cap. XIV. confer eum & in Cap. I. p. 14.
(4) De Rep. Hebræor. Lib. III. Cap. III.

ſæpe in biblico contextu interpretando eſſe admirandam induſtriam aſſerere non dubitavit. Ludovicus autem Capellus, *non puto*, inquit (1), *quemquam eſſe, qui aliquatenus ſcripta Rabbinica legere poſſit, qui ea in locis obſcurioribus non conſulat, & id quidem non incaſſum, & ſine fructu. Sunt enim homines illi in ſcripturæ ſacræ lectione exercitatiſſimi, atque ex ea, & diligenti locorum ſimilium collatione ſignificationis vocum, & phraſeon plerumque ſunt peritiſſimi, ut eorum expoſitionibus non parum juvari poſſit Chriſtianus in genuino ſcripturæ ſenſu literali percipiendo. Quis niſi imperitus, id neget?* Sed quid recentiores nomino (2)? *Ipſe Origenes*, inquit Hieronymus (3) *& Clemens, & Euſebius, atque alii complures, quando de ſcripturis aliqua diſputant, & volunt approbare, quod dicunt, ſic ſolent ſcribere*, referebat mihi Hebræus; *&* audivi ex Hebræo, *&* Hebræorum iſta ſententia eſt. De Origene vero peculiariter, *nec dedignatur*, ſubdit, *Hebræam ſcripturam interpretans per ſingula loca, quid Hebræis videatur, inſerere.* De Hieronymo non loquor, qui optima quæque clariſſimis ſuis commentariis inſerta Hebræis, quos habuit in ſcriptura præceptores, & explanatores, cuncta refert accepta. *Teſtis eſt mihi Dominus*,

(1) Defenſ. Crit. Sect. 42. Eadem pene habet Druſius Lib. I. Obſervat. Cap. XXII. *Hebræos qui cum judicio leget, leget non ſine fructu. Nam quod quidam ſcribit* οὐδὲν ὑγιὲς *in illis eſſe, præſtabo hominem illum aut nunquam legiſſe ſcripta eorum, aut ſi legit, non intellexiſſe.*

(2) Hæc Cunæi, & Capelli, & alia plurima Hebræor. Encomia ipſis a Chriſt. auctorib. tributa vide Tom. I. Crit. Sac. poſt Præfationes.

(3) Apolog. in Ruffin. Lib. I. Tom. IV. p. 363.

inquit S. Pater (1), *me Hebræorum ſequi expoſitionem, a quibus non modico tempore eruditus debeo meis ſimpliciter indicare, quæ didici.* Et Lib. I. Apol. adv. Ruffin. *mihi non licebit*, inquit S. Pater, *in Commentariorum opere latinos docere, quod ab Hebræis didici?* Atque hæc quidem univerſim. Præſertim vero quam illuſtrant Hebræorum ſcripta veteris Teſtamenti ritus, ceræmonias, loca, perſonas, & alia huiuſmodi? Quis diiudicare valet, quod his intelligendis ſubſidium attulerint φιλεβραίων virorum Diſſertationes ampliſſimo Ugolini Theſauro comprehenſæ? Tamen earum auctores Hebraicarum litterarum præſidio ex unis fere Hebraicis ſcriptis, ut cuique patet, ſcripturas illuſtrare conati ſunt. In Novo autem fœdere maximam laudem ab eruditis, ut ceteros prætereaam, Ligtfootus, Schoetgenius ob ſuas Horas Hebræo-Talmudicas reportarunt. Plures enim parabolæ, & Chriſti ſententiæ apud Hebræos in eorum ſcriptis receptæ, & proverbiales occurrunt. Quod ſi de Maſora loquimur, cuius ſunt Hebræi tenaciſſimi cuſtodes, quid ea nobis utilius eſſe poteſt, quæ nobis Biblica volumina ſarta tecta ſervat, eſtque veriſſime, ut eam Hebræi appellant, סיג לתורה *legis ſepimentum?* Jam vero quid de iis ſcripturarum locis dicam, quæ ad Meſſiam ſpectant, quæque Hebræi aliquando fidei noſtræ congruenter admodum interpretantur; unde maximum adverſus eos Eccleſiæ præſidium emergit?

(1) Comm. in Nah. Cap. II. ſub init. Tom. III. Oper. p. 1568.

Nisi antiquam suorum traditionem in exponendo de Messia Psal. II. suis in Commentariis nobis aperiret R. Scelomò Jarchi, an luculenter adeo ex eo Psalmo Hebraeos urgeremus? Sed quae, & quot ex eorum scriptis in nostrae fidei praesidium peti queant, sat ostendunt Raymundi Martini, Porcheti, Galatini, aliorumque labores adversus Hebraeos ex ipsorum praecipue documentis, & libris concinnati. Praeterea unde quaeso poteris argumenta, quibus ipsi Religionem nostram oppugnant, aut se tuentur, intelligere, ni legas eorum scripta, ut sunt Commentaria Abarbanel, Nitzachon R. Lipmanni, Chisuch Emunàh R. Isaaci, & alia huiusmodi? Denique nihil ne ad eruendam verborum proprietatem, & vim conferunt Hebraeorum scripta? Hunc eorum usum, atque emolumentum nec ipse Morinus inficiatur, ut ut in Rabbinos, & Rabbinica opera infensissimus. *Utiles*, inquit (1), *grammaticas, utilia dictionaria composuerunt; utiliter etiam plerumque dictionum Hebraicarum nativae significationi eruendae operam suam commodaverunt.* Atque haec quum ita sint, quamquam non fusa admodum oratione persequuta, qui ait nullam esse in Hebraeorum codicibus, & libris pervolvendis utilitatem, nullum usum, nae ille Hebraeorum libros nunquam pervolutavit; aliter sane judicaturus, quum in diligenti eorum lectione versabitur. Forsteri olim auctoritate praeoccupatus sinistre ad-

(1) Exercit. Biblic. Lib. I. Exerc. I. Cap. III.

modum de Rabbinicis ſcriptis Schickardus ſenſerat, ut ipſe de ſe teſtatur (1); quem tamen capto experimento multum pœnituit. *Cuius*, inquit, *immaturi judicii mei, quod tunc tabellis 25. mearum Inſt. Heb. præpropere tuli, merito me nunc diſpudet. Jam enim poſtquam per Dei gratiam in quotidiana illorum lectione, inter medias nugas multa quoque præclara, & Chriſtianiſmo noſtro contra ipſos Judæos plurima profutura reperio, illis longe factus ſum æquior.* Atqui, inquis, Forſterus erat & ipſe in Hebræorum ſcriptis exercitatiſſimus. Ita equidem eſt, ſi ipſi credimus ſic de ſeipſo in commemorata Præfatione prædicanti: *ſi quis eſt, qui facultates ſuas in Rabbinos profudit, qui in ipſorum Synagogis longo tempore verſatus eſt, qui domi propriis impenſis præceptores aluerit, qui ipſorum Commentaria ſtudioſe evolvit, Forſterus eſt, & tamen (Deum, & conſcientiam meam teſtor) nihil eximii, & quod ſingulari laude dignum eſſet, reportavi. Eram illis initio adeo addictus, ut alius quiſquam, ſed quo olim illis fui addictior, hoc nunc ſum factus infenſior, quod omnem operam, & oleum me perdidiſſe vere, ſed non ſine dolore fateor.* At evolviſſe ipſum Hebræorum ſcripta haud adeo facile ſibi ſuadent eruditi, nec Schickardus ipſe in Hebraicarum litterarum profeſſione octavus eius ſucceſſor. *Non ita crebro*, inquit hic (2), *& interdum pueriliter impegiſſet, ſi Rabbinicarum Commentationum vel ſolum exordium legiſſet.*

(1) Apud Cartvvright. cit. loc. Elect. Talm. Rabb.
(2) Bechinath Happeruſc. p. 107. apud eund. Cartvvrigh. ib.

gisset. Non potuisset eum fugisse, quod Aben Ezra statim in frontispicio Gen. I. 5. ad vocem לילה *rectissime notavit:* ה"א לילה נוסף כי הוא מלעיל ולעולם לשון זכר הוא *idest*, He dictionis Lailah est paragogicum; ratio est, quia vox illa est penacuta, & proinde semper generis masculini. *Si, inquam, hæc obiter saltem inspexisset, vocem* ליל *frequentius in forma fœminina* לליה *legi p. 416. sui lexici nunquam scripsisset, nec se tyronum risui exposuisset.* Vide, si lubet, & Cl. Pasinum nostrum in Oratione ad Sacram scripturam, & linguas Orient. (1) idem audacissimo homini exprobrantem. Quid ergo valent Forsteri dicteria, & convicia viri in legendis Hebraicis libris non exercitati præ tot, tantorumque virorum judiciis, qui iis legendis, vertendisque addicti eorum usum auctoritate, & exemplo confirmarunt, & summis eos laudibus extulerunt? Ecqui adeo laborassent doctissimi viri, ut tot, quot extant jam, Hebræorum scripta sive latine, sive alia quavis vernacula lingua nobis exhiberent? Quare non potius reliquissent ineptissimos fœtus in bibliopolarum officinis atro pulvere consumi? Atqui undique exquiruntur, non a Judæis solum, sed & a doctioribus Christianorum, maximi fiunt, & pluris emuntur. Apposite Cartvvrightus post memoratum illud Martialis distichon, quo Lucanum ita de se loquentem inducit: *sunt quidam, qui me dicunt non esse Poetam, sed qui me vendit, Bibliopola putat*;

(1) Reperitur ad calc. eius Gram. Heb. V. pag. Orat. 12. & 13.

ita ſane, inquit (1), *quidquid alii de Rabbinis cenſent, Bipliopolæ, qui eos vendunt, non ita contemnendos eſſe authores ſciunt. Si quicquid ſtudii eis impenditur, perditum eſſet, haud ita, opinor, eveniret, ut eorum libri tam caro venderentur.* Conſule de Hebraicorum ſcriptorum dignitate, utilitate, & uſu eundem Cartvvrightum in commemorata Præf. ad Electa Targumico-Rabbinica, Auguſtum Pfeifferum in Critica Sacra (2), Leuſdenium in Philologo Hebræo-Mixto (3); quibus adde e noſtris Cl. Paſinum (4) a reſtaurata hac Taurinenſi Academia primum ſacrarum ſcripturarum, & linguar. Orient. in ea Profeſſorem, quem Deus jugiter tueatur, & Antonium demum Zanolini linguarum Orient. in Patavino Seminario Profeſſorem in Diſputatione de Targumim præfixa eius Lexico Chaldaico-Rabbinico. Quid vero ſi putidiſſimis tantum figmentis ſcatere Hebræorum libros concederemus? Annon adhuc dignoſci hæc commenta debent, refutari, obiici, quo Rabbinorum dementia, futiliſque, atque inepta prorſus eorum doctrina detegatur? Qua exercitatione quæ dignior, aut utilior chriſtiano Theologo eſſe poteſt ad abducendos a ſuorum fabulis tot Judæorum animos, qui ſingulari earum ſtudio abrepti ſalutarem veritatis, & lucis viam miſere ſibi occludunt?

(1) Comm. Præf. ad Electa Targ.
(2) Sect. II. Quæſ. V.
(3) Diſſert. XVI.
(4) Cit. Oratione.

CAP. IX.

Non adeo porro esse Hebr. ling. necessariam, ut facile carere ea nequeat Christianus Theologus illæso eius sive interpretandæ scripturæ, sive redarguendorum hostium officio. Luculentissimo id plerorumque Patrum, qui Heb. litteras ignorarunt, Augustini præsertim, & Thomæ exemplo corroborari.

Non tamen hæc, quæ hucusque de Hebraicarum litterarum usu disputavimus, necessario hunc instituendum suadere nonnullis videntur, qui optimam quidem rem arbitrantur, & utilem admodum fontes consulere, & dulcior, si iis credimus,

ex ipsis hauritur fontibus unda;

quamobrem & qui primigenii sermonis disciplinam suscipiunt, quammaxime commendant. At facile ea carere se posse putant, quin officio desint; quod gravissimo Patrum exemplo comprobant. Etenim omnes Patres, & Doctores si unum, aut alterum excipis, penitus Hebraicam linguam ignorarunt. Ignorarunt autem, qui ceterorum veluti aquilæ habentur, Augustinus, & Thomas. Ergo ne non sat recte scripturas interpretati sunt, aut infelici prorsus exitu Ecclesiæ fidem adversus eius hostes propugnarunt? Si vero, quod ullo proculdubio fatendum est, sanctissimi viri illæso eorum officio, & honore hisce litteris carere potuerunt, quare & idem ipsi non poterunt? Nam

eadem utriſque præſidia ſunt, quæ eos æque faciant ab iis addiſcendis immunes. Quod hominum genus etſi in eo eſt commendandum, quod Hebraicarum litterarum utilitatem non neget, quum de ſuſcipienda tamen earum inſtitutione agitur, non valde a ceteris diſſentire videtur: facile enim patitur hac utilitate privari. Et ego quidem Hebraicam linguam Theologis non utilem modo, ſed & neceſſariam puto, qua in ſtatutis perfectæ ſive Biblicæ interpretationis, ſive hoſtium convictionis muneribus carere nequeant. Quamquam non loquor de neceſſitate ita abſoluta, ut nullam propterea laudem etiam anebræus quiſpiam in aliquo ſive ſcripturarum textu interpretando, ſive redarguendo fidei hoſte conſequi poſſit. Ut enim multa loca in Eccleſiaſticis verſionibus, eaque præſertim, quæ fidem, moreſque reſpiciunt, æque clara ſunt, nec ullo gravi interpretis, vel fortuito errore fœdata, multa non ſolum textui primigenio prorſus conſentanea, verum & ipſius vim, atque emphaſim plene exprimentia, multa demum, in quibus nullus peculiaris linguæ ſanctæ idiotiſmus fovetur, ita inconſiderate omnino videremur in ſingulis ſcripturarum locis recte intelligendis neceſſario Hebraici idiomatis uſum poſtulare. Quod idem porro de Hæreticorum præcipue confutatione dicendum eſt. Nam ſi oſtenſa prius Traditionis exiſtentia, aut Vulgatæ ex communi veræ Eccleſiæ uſu, dignitate, & integritate,

hac, aut alia etiam naturalis rationis via utaris, quare multum in agenda Ecclesiæ caussa non proficies? Quare item si harum litterarum & ipse ignarus hostis te non provocet, adigatque ad fontes, aut quoniam sunt inter heterodoxos, qui Vulgatam magni æstimant, hanc acceptet, & in nullum fidei discrimen adducat? Sed iis, qui perfecte, plene, profunde singulos sacrosancti eloquii textus perscrutari volunt, omnemque eorum vim, & sensum exhaurire; Hebræos autem, vel Hæreticos ordinaria, ut inquiunt, via ex iis, quos admittunt, fontibus refutare, non dubito, quin necessario Heb. linguæ præsidium adferendum sit, quod & ea, quæ superioribus capitibus constituimus, luculenter evincunt. Ubi enim vitiata est Vulgatæ lectio, obscura, ambigua, redundans, ubi dissentiunt latinæ translationes, & Vulgatæ exemplaria, quæ singula auctoritate, & exemplis superius confirmavimus, ex Bellarmino, atque quod magis adhuc attendendum est, ex Hieronymi, Augustini, & Patrum omnium sententia Hebraici codices adeundi, & consulendi sunt. Quid vero, si percipienda sit divini sermonis energia, & pulchritudo, si evolvendi idiotismi, seu dicendi modi eius linguæ omnino peculiares, quibus universa scriptura abundat, si propria sive virorum, sive locorum nomina, quibus sæpe mysteria subsunt, intelligenda, si varia demum Hebraicorum rituum, & antiquitatum habenda sit notio? Etenim hæc singula ad

perfectam ſcripturarum illuſtrationem, & intellectum requiri videntur. Fruſtra id te abſque Hebraici ſermonis peritia conari ſentiunt commemorati Patres. Utamur jam Auguſtini teſtimoniis & auctoritate. Maximi enim valere debet, quippe quæ eius Doctoris eſt, qui, ut ita ſentiret, nullo earum litterarum, quas ipſe poſſideret, ſtudio abduci potuit. In libris de Doctrina Chriſtiana, quos ad Theologorum ſcripturarum interpretum inſtitutionem ſanctus Doctor conſcripſit, *tum vero*, inquit (1), *facta quadam familiaritate cum ipſa lingua divinarum ſcripturarum, in ea, quæ obſcura ſunt, aperienda, & diſcutienda pergendum eſt.* Paullo inferius Cap. XI. *Contra ignota ſigna propria magnum remedium eſt linguarum cognitio. Et latinæ quidem linguæ homines, quos nunc inſtruendos ſuſcepimus, & duabus aliis ad ſcripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebræa ſcilicet, & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur; ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Quamquam & hebræa verba non interpretata ſæpe inveniamus in libris: ſicut* Amen, *&* Alleluia, *&* Racha, *&* Hoſanna, *& ſi qua ſunt alia, . . . ſed non propter hæc pauca, quæ notare, atque interrogare facillimum eſt, ſed propter diverſitates, ut dictum eſt, interpretum illarum linguarum eſt cognitio neceſſaria.* Et Capite XII. *Item illud eiuſdem Eſaiæ Prophetæ:* niſi credideritis, non intelligetis, *alius interpretatus eſt:* niſi credideritis,

(1) Lib. II. De Doct. Chr. Cap. IX.

non permanebitis; *quis horum vera secutus sit, nisi exemplaria linguae praecedentis legantur, incertum est.* Et Cap. XIII. *Sed quoniam & quae sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate, atque judicio conatur eloqui, non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur, quam interpretantur; & plerumque a sensu auctoris devius aberrat interpres, si non sit doctissimus, igitur aut illarum, ex quibus in latinam scripturam pervenit, petenda cognitio est, aut habendae interpretationes eorum, qui se verbis nimis obstrinxerunt; non quod sufficiunt; sed ut ex eis libertas, vel error dirigatur aliorum.* Item Cap. XIV. *Aut ignotum verbum facit haerere lectorem, aut ignota locutio. Quae si ex alienis linguis veniunt, aut quaerenda sunt ab earum linguarum hominibus; aut linguae eaedem, si & otium est, & ingenium, ediscendae.* Cap. XVI. *In translatis vero signis si qua forte ignota cogunt haerere lectorem: partim linguarum notitia: partim rerum investiganda sunt.* Et Lib. III. De ead. Doct. Chr. Cap. XXIX. *Quamvis superius id jam admonuerim, idest in secundo libro, ubi de linguarum necessaria cognitione disserui.* Ita porro contra Julianum (1) de Hieronymo loquitur: *Sic in Ecclesia laboravit, ut eruditionem Catholicam multum in latina lingua multis, & necessariis literis adiuvaret.* Quibus quidem Augustini testimoniis quid ad stabiliendam harum litterarum necessitatem eorum etiam Patrum auctoritate, qui illas ignorabant, luculentius afferri poterat? Nec

(1) Lib. II. Cap. XXXVI.

ſane optimi, & meliores interpretes aliter ſe gerere viſi ſunt; ſed omnes, quotquot ullam in ſcripturis laudem reportarunt, Auguſtini monito, & ſententiæ obtemperantes Hebr. linguæ præſidium ad earum inveſtigationem attulerunt. Eorum autem commentaria adeo abeſt, ut in intelligenda ſcriptura neceſſario quæſitam huius linguæ notitiam ſuppleant, ut immo abſque ea nec ipſa perfecte intelligi queant. Porro uſus item Hebraicæ litteraturæ, qui in noſtrorum Hoſtium redargutione fit, ſive Hebræi, ſive Hæretici, ſi quidem ex iis, quæ ipſi concedunt, confutandi ſunt, neceſſarius omnino videtur. Ut enim animadvertimus, ſolis hi Hebraicis codicibus authentiam attribuunt. Vulgatam vero corruptionis, & malæ fidei accuſant. Sunt autem in hac lingua dexterrimi, utrique in concertatione grammatici, & primigeniarum dictionum vis, & naturæ tenaciſſimi ſectatores. Jam vero, quæ Hebræi, & Hæretici ſive pro ſe, ſive adverſus nos Theologica ſcribunt, ea abſque Hebraicæ linguæ ſubſidio intelligi nequeunt. Nam illorum propria ea lingua eſt; hi autem in ſuis ſcriptis illius eruditionem perpetuo oſtentant. Conſule interim e noſtris præter Guillelmum Poſtelli (1) Guarinum in priori parte Præfationis cl. eius Grammaticæ Hebræo-Chaldaicæ præfixæ (2), ubi hanc propoſitionem breviter ſibi demon-

(1) Præf. De ling. Phœniciæ, ſive Heb. Excell., & De Neceſſario illius Uſu ap. Wolf. Biblio. H. Vol. IV. p. 308.

(2) §. 1. ej. Præf.

monstrandam assumpsit: *ad scripturam perfecte intelligendam non solum utilis, verum etiam necessaria est linguæ Hebraicæ cognitio*; Gerbertum in suo ad Eruditionem Theologicam Apparatu (1), Henr. a Porta De Linguar. Orient. Præstantia (2), & doctiss. nostrum Pasinum, qui commem. brevi quidem, sed disertissima oratione huius linguæ necessitatem ad sacrarum litterarum expositionem evicit. Ex heterodoxis autem sexcenti de ling. Heb. necessitate scripserunt, quorum elenchum contexuere Wolfius Bibliot. Heb. Tom. II. p. 622. seqq., & Tom. IV. p. 308. seqq., Schudtius in Deliciis Hebræo-Philologicis p. 180. seq., & Joh. Simonis Introd. Grammatico-Critica in ling. Heb. Sect. I. Cap. II. §. 11.

Jam vero quod ad Patres ἀνεβραίυς attinet, nec eorum exemplo tuto adeo abuti potes, ut videris. Si quispiam neget plerosque Patrum hanc linguam ignorasse, qui eos inscitiæ convinces? An ex eorum scriptis, & commentariis in illorum præcipue gratiam, qui celestibus, divinisque rebus addicebantur, concinnatis, & mysticis plerumque, ceu illorum temporum recepta expositionis methodus ferebat? An vero ex eorum homiliis, vel sermonibus inconditis populi auribus accommodatis, in quibus nulla item erat ostendendæ Hebraicæ eruditionis necessitas, & occasio? Si ita est, non video, quare in

(1) Toto Cap. XI. p. 133. seqq.
(2) §. 1, 11. seqq., 32. 37. &c.

Philebræorum cenſum Origenem Hieronymus, & Euſebius retulerint. Sane apoſtolici Patres, quod Hebræi plerique natione eſſent, immerito Hebraicæ linguæ inſcientes fingerentur. Nec porro poſteriori ævo multi quovis ſæculo viri hebraice periti Eccleſiæ defuerunt, qui ex hebraiſmo item convertebantur; cuiuſmodi fuit Hieronymi adhuc juvenis in hiſce litteris inſtitutor, frater, ut eum appellat Hieronymus (1), *qui ex Hebræis crediderat*. Nullus ne extabat olim ſacroſancti fontis, Hebraicæ veritatis uſus, quoniam nulli erant eccleſiaſtici viri, qui eo uterentur, & pro neceſſitate conſulerent? Ita ne auſus fuiſſet Auguſtinus neceſſarias haſce litteras Theologis obtrudere, niſi optimos præ oculis Patres iis utiliter addictos habuiſſet? Nam ipſe eas omnino ignorabat. Quamobrem minus conſiderate loquuntur, qui vetuſtiſſimos omnes Patres, & Eccleſiaſticos Doctores, ut hebraice prorſus imperitos traducunt. Plerique tamen ſanctam hanc linguam non calluerint, quod veroſimile videtur, & haud difficulter eruditi concedunt. Ergo ne propterea eam ſibi nulla ratione neceſſariam ſenſerunt? Atqui, ſi ita argumentari licet, nec utilem exiſtimarunt, quod contradicis. Aut, ſi ita ii, qui ignorarunt, juxta te arbitrati ſunt; qui itaque didicerunt, dubitandum jam non eſt, quin neceſſariam agnoverint. Jam vero quantum apud nos etiam præ reliquis omnibus valere

(1) Ad Ruſtic. Monachum De Vivendi Forma.

debet, non dicam Origenis Ecclesiarum magistri, sed vel unius Hieronymi exemplum, & auctoritas, qui ut hanc linguam obtineret, nullis ipse vigiliis, nullis gravissimis laboribus pepercit?

Verum Hebraicarum litterarum inscitia in obiectis plerisque Patribus non est proculdubio indicium neglectæ ab his earundem disciplinæ, aut quod minus hæc necessaria haberetu ; quod Augustini exemplo confirmari potest. Etenim huius linguæ necessitatem luculentissime adstruit, nec de eius mente, & animo dubitare nos sinunt multa, eaque clarissima in hanc rem sancti Doctoris testimonia, quæ superius attulimus. Dein vero patet id ex laudibus tum ab eodem Augustino, tum a ceteris hebraice imperitis Patribus Hieronymo , Origeni hebraice doctis tributis. Nam non Augustinus solum asseruit Hieronymum eruditionem Catholicam multum in latina lingua multis & necessariis litteris adiuvasse, sed & Prosper honorifice admodum de eo scripsit (1):

Hebræo simul, & Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister.

Quodque demum summopere animadvertendum est, ipsam suam inscitiam doluere ii Patres, & *Augustinum rerum æstimatorem æquissimum*, inquit Natalis Argonensis (2), *& probandæ quavis occasione veritatis*

(1) Apud Walt. App. Bib. Proleg. X. n. 3.
(2) De Optima legendorum Ecclesiæ Patrum Methodo Par. II. Cap. II.

ſtudioſiſſimum toto vitæ ſuæ curſu pænituit, quod linguas Orientales non didiciſſet. Quamvis enim exiſtimaret utilius interpretari ſcripturas, quam ſcire linguas, norat tamen optime unum ſine altero conſiſtere non poſſe, atque in Eccleſiæ Doctore linguarum, & interpretationis ſcientias coniunctas eſſe debere. Et Georgius Faber (1): *Certe Auguſtinus ſuam hac in parte infelicitatem acerbe deploraſſe dicitur, quod linguæ Ebraicæ ignarus fuerit.* Quid ergo jam de Auguſtini, & Anebræorum plerorumque Patrum animo, doctrina, ac ſententia dubitamus? Atqui in ipſis quid docuerint, quid ſenſerint, quid commendarint, magis attendendum eſt, quam quod egerint. Nam aliquando quod alios docent, & in aliis laudant, ipſi præſtare non potuerunt.

Quapropter plerique ſaltem, qui obiiciuntur Patres, excuſandi ſunt, non accuſandi, ſi hanc linguam non didicerunt. Ut multa ſunt, quæ eos excuſant, & ſimul maximum, quod inter illa, & noſtra hæc tempora intercedit diſcrimen, luculenter evincunt. Unde primum tanta erat illorum Patrum ætate eius linguæ addiſcendæ neceſſitas? Nec enim eos Hæretici ulla Hebraicorum fontium conſultatione, & uſu exagitabant. Latina & ipſi verſione utebantur; nullus tunc in diſputatione Hebraicæ Philologiæ uſus; nec præcipuum hoc erat contradicentium ſtudium. Quamobrem optime olim Patrum exem-

(1) Epiſt. Dedic. ad Inſtit. Gram. Heb. Conſule & Eraſm. Roterodamum Lib. XXXI. Epiſtolar. Ep. XLII. ad Martin. Dorp.

plum obiicienti ita reposuit Cellarius (1): *Dispar est ratio. Plurimi antiquorum Hæreticorum rudes erant Ebrææ linguæ; . . . hodie vix ullus sectarius ἀνεβραῖος vult haberi.* Quod sane in caussa est, cur Augustinus, ut ut hanc linguam ignoraret, summam tamen in Hæreticorum sui temporis confutatione laudem pro perspicacissimo, quo S. Doctor pollebat, ingenio sit consequutus. Raro autem pugna Hebræum inter, & Christianos eos Patres contigit; aut si ulla concertatio intercessit, is forte Hellenista Hebræus fuit, non Hebræo, sed Græco textui addictus, ignarus & ipse Hebraicarum litterarum. Atque hæc de Hostium redargutione.

Quod ad sacrarum vero scripturarum expositionem attinet, ut nos ad sensum præcipue, quem littera refert, huiusce idiomatis usum postulavimus, quis non observat morem ea ætate obtinuisse sacras litteras mystice potius, quam litteraliter, ut ita dicam, explanandi, ut etiam ii Patres, qui hebraice sciebant, hunc expositionis modum sequerentur? Id, quin alios memorem, sat ex Origene confirmatur, qui certe a Hieronymo (2), & Eusebio (3), contra ac sentiat Huetius (4) laborasse & ipse dicitur, *ut etiam Hebraicam linguam contra ætatis, gentisque suæ naturam edisceret*, & quin dixissent, ex eius Exaplis

(1) Præf. ad Sciagraph. Philol. S.
(2) De Scriptorib. Ecclef. ad Origen. V. & ej. epis. 25. ad Paul.
(3) Hist. Eccl. Lib. VI. Cap. XII.
(4) Origenian. Lib. I. Cap. II. n. 3., & Lib. II. Cap. I. n. 2.

constare poterat. An tamen Hebraicæ linguæ subsidio literalem est, & historicum scripturæ sensum secutus? Immo vix est alter Patrum, qui adeo mysticus sit, & allegoricis expositionibus studuerit. Quod in Origene excusat Simonius, nec quisquam porro est, qui in ceteris etiam Patribus reprehendat, propterea quod ita ætatis consuetudo ferret, & *experiretur ille suas allegorias attentos sibi auditores efficere* (1). Et Bossuetus doctissimus Meldensium Episcopus de Augustino loquens, cuius caussam adversus eundem Simonium Ecclesiasticæ in hac re antiquitatis criticum liberiorem tuebatur, *Il a*, inquit (2), *des allegories comme tous les Peres, selon le goût de son siecle, qu'on a peut être poussé trop avant; mais qui dans le fond étoit venu des Apôtres, & de leurs disciples.* Sed audi iam, quid de universa hac re te doceat Auctor De Optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo (3): „ Quamvis Ecclesiæ Patres sacræ scripturæ literam non neglexerint, spiritum „ tamen sæpius secuti sunt: tum enim excitandis „ auditorum animis præcipue studebant, tum etiam „ consentaneum non erat illis temporibus Populos „ critices, atque grammatices quæstionibus detine- „ re, quibus nec meliores, nec sapientiores fieri „ potuissent, quum plerique huic eruditionis gene- „ ri parum apti viderentur . . . Ad ætatem usque

(1) Simon. Hist. Crit. V. T. Lib. III. Cap. IX.
(2) Defence de la Trad., & de SS. Peres contre Rich. S. Liv. IV. Chap. XVIII.
(3) Par. III. Cap. IV. pag. lat. Taur. ed. 232.

„ Diodori Tharſenſis Epiſcopi, eiuſque auditoris
„ Divi Chryſoſtomi, qui primum literali ſolum ſen-
„ ſui incubuiſſe videntur, Patres Eccleſiæ vel Chri-
„ ſti Domini, & Apoſtolorum exemplo ducti, vel
„ ingenii ſui vi, ſuæque ætati morem gerentes, ni-
„ hil fere proferebant, quod myſticis coloribus,
„ atque ſignificationibus non exornarent. Quum
„ enim alloquerentur ethnicos, qui myſticis poeta-
„ rum fabellis aſſueverant, Helleniſtas Platonico-
„ rum ideis imbutos, Chriſtianos in fide parum
„ adhuc exercitatos, atque nutantes, ne vileſceret
„ illorum oculis Chriſtiana religio, ſpiritali ſenſu
„ ſcripturam exponere cogebantur. Quippe litera
„ durior eſt ſe ſola, atque ſpinoſior, quam ut eius
„ ope in illorum animos ſeſe inſinuarent, atque apud
„ eos fidem noſtram in exiſtimationem adducerent.
„ Suam obtinet unaquæque conſuetudo ætatem, &
„ imperium: ac quemadmodum iniquus foret, qui
„ Recentioribus exprobaret, eos allegoricum ſtylum
„ veteribus ſacrum deſeruiſſe; ſic iniuria, & im-
„ merito reprehenderentur veteres, quod Religio-
„ nem allegorice expoſuerint, ut iis temporibus mos
„ erat communi auctoritate firmatus.„ Quod nam
ergo erat obiectorum Patrum in interpretandis ſcrip-
turis inſtitutum, & ſcopus? An ut cuiuſvis ſacri
textus litteram plene, ac profunde intelligerent? An
illud demum, quod in Theologo nos ſcripturarum

interprete abſolute poſtulavimus, ut neceſſario Hebraicis is litteris egere diceretur? Dilatandæ religionis ſtudioſiſſimi hoc laborabant præcipua religionis capita in ſuis ſcripturarum explanationibus illuſtrare, atque exponere, ut eos erudirent ſive Catechumenos, ſive Fideles, ſive Paganos, & Judæos, qui eorum ſermonibus intererant. Aut ſi Fidelibus loquebantur, & ſcribebant, omne in id ſtudium, & contentionem ponebant, ut ad divinas res, & celeſtes eorum animi ſpiritali ermenia, ſeu interpretatione dirigerentur. Quamobrem, ut ſuperius monuimus, eorum commentaria aut inſtitutionem illorum ſæpius complectuntur, qui celeſtibus diviniſque rebus erant addicti, aut homilias inconditis populi auribus accommodatas. Ανεβραίων igitur Patrum inſtitutum vix Hebraicam litteraturam poſtulare videbatur.

Quid vero, ubi in ſcripturis fidei dogmata, myſteria, præcepta cuduntur? Recepta apud eos ab ipſis Apoſtolicis viris traditione in iis intelligendis dirigebantur. Nec obſcure ibi ſunt ſcripturæ, aut ambiguæ, quæ egeant ex fonte illuſtrari, nec adeo deficientes, & imperfectæ verſiones, ut ob id ad Hebraicas litteras confugere cogerentur. In reliquis autem textibus una eos fidei analogia in illorum ſenſu firmabat. Quamquam fatendum eſt univerſim in interpretandis ſcripturis alia Anebræis Patribus ſubſidia

ſidia fuiſſe, quibus nos hodie caremus. Scilicet *Origenis Exapla*, inquit Calmetus (1), *quæ præ illorum manibus verſabantur, theſaurus quidam erant, qui plurimorum voluminum vices gereret. Ibi varias textus eiuſdem verſiones conferebant; atque inde ſententias ſuas hauriebant ex Hebraicorum librorum ſenſu, quorum linguam plerique ignorabant.* Poſſevinus vero in Bibliotheca ſelecta (2) de lingua Hebraica, ad quam toto nos ſtudio cohortatur, ſermonem inſtituens de Patribus, qui eam ignorarunt, ita loquitur: *quamquam ſcio Spiritum Sanctum divitias ſuas effudiſſe etiam in eos, qui minus hanc linguam calluerunt, quod in Sanctis Bernardo, & Thoma, atque aliis cernimus; ſed hoc ut minus erat forte neceſſarium iis temporibus, quibus erat unum fidei labium in univerſa Europa, ſic potentiſſimi illi pietate viri a mandatis Dei intellexerunt, quorum ad cor ſæpius locutus eſt Deus, quam ad oculos per libros, vel ad aures per præceptores.*

Honeſtior adhuc fit Sanctorum Patrum excuſatio, quum animadvertimus nullam Hebraicæ linguæ addiſcendæ conſuetudinem, aut uſum in Chriſtianorum ſcholas illis temporibus invaluiſſe. Deerant quoque huius linguæ ſubſidia, grammatici, & lexicographi. Hebræos autem magiſtros conducere, a quibus linguam, & ſcripturæ expoſitionem perciperent, piaculum forte viris optimis videbatur. Tum

X

(1) Præf. general. in V. T. libros.
(2) Lib. II. Cap. II. p. 154.

vero gravissimum hoc erat, nec sine magno ære, immanique labore persici poterat. Vix demum reperire quempiam ex Hebræis hebraice eruditum fas erat, cui fidem in docendo adhiberent. Quæ singula Hieronymi testimonio, & exemplo præclare confirmantur. Porro ex nostris neminem adhuc edocendæ Grammaticorum more ea tempestate huius linguæ provinciam suscepisse vehementer olim conquerebatur Reuchlinus (1); ex quo intelligitur mediorum defectum per XV. sæcula usque ad Reuchlinum ipsum perdurasse, qui primus Christianorum linguæ Heb. rudimenta una cum lexico per Thomam Anshelmum haud sine incredibili, ut ipse fatetur (2), diligentia, & ære non parvo in lucem emisit anno 1506. Atque anno adhuc 1520. dolebat Augustinus Justinianus Nebiensis Episcopus scribens ad Poncherium, & Guillelmum parvum (3), quod laborarent hactenus eius auditores librorum penuria. Quis ergo non credat omnibus fere subsidiis destitutos Patres adeo linguam hanc difficilem existimasse, ut frustra se diuturnos labores, ac vigilias adgredi arbitrarentur? Quod idem (4) de An-

(1) Præf. ad Lexic. Heb. *Neque tamen ex omni literatissim. hominum numero in hunc usq. diem inventus sit unus, vel item alter, qui pro Sac. Theologia linguam Heb. grammatico more Christianis demonstraret.*

(2) Præf. ad VII. Psalmos Pœnit.

(3) Extat hæc epist. ap. Wolf. Bibliot. H. vol. II. p. 950.

(1) Cl. Fleury in suo Tract. *du Choix, & de la Conduite des Etudes* §. VII. loquens de Sec. XII., quod proxime Sec. D. Th. antecessit, *il est vrai*, inquit, *que la connoissance des langues, & de l'histoire est necessaire pour entendre bien les Peres, & l'écriture même, mais ils ne s'en appercevoient*

gelico Doctore dici a fortiori potest; propterea quod Angelici Doctoris temporibus Hebraicarum litterarum disciplina maxima adhuc Scholasticarum doctrinarum, quæ inoleverat, opinione, & studio præpediri, & deiici quodamodo videretur. Unde aptissimam eruditiss. noster Ansaldi (1) suorum excusandi caussam assumpsit, si aliqua tempestate remissa sunt apud illos linguarum Orient. studia. *Sensim nempe*, inquit, *apud Ascetarum vulgus crevit adeo scholasticarum, ut aiunt, Doctrinarum opinio, ut duobus posterioribus demum sæculis mirum vix, si præ scholasticorum Præceptorum scriptis nil ultra legendum crederet, nil ultra venerari posse videretur, nil habere aliud quod edisceret, imitaretur, illustraret, propugnaret; quumque Præceptores illi maximi linguarum peritia plurimum carerent, imitatores non turpe modo eas nescire haud duxere, sed vanum potius de illis cogitare, & adversus eam, quæ nimium denique obtinuerat studiorum methodum, cui adacti erant plusquam militari sacramento.* Commemoratus vero Natalis Argonensis, *Divus Thomas*, inquit (2), *Scholarum Angelus Græcæ linguæ ignoratione* (idem de Hebraica dicamus) *laboravit, quod tamen eius incuriæ tribuendum non est, sed ignorantiæ, ac feritati sui temporis, quo Græcus sermo res apud omnes mon-*

pas, ou bien la difficulté incroyable d'acquerir ces connoissances par le manque des dictionnaires, des glossaires, des commentaires, & par la rareté des textes mêmes leur en faisoit perdre l'esperance.

(1) In Præf. ad Diss. De Loco Joh. apud nonn. Patres a Vulgata diversimode lecto.

(2) Cit. Lib. De Optima Legend. Eccl. PP. methodo Par. II. Cap. II.

ſtroſiſſima habebatur, a qua ſibi omnes, veluti a ſcopulo cavere deberent; Græcum eſt, non legitur. Nec ſolum anno 1500. reperti ſunt, ſi Heresbachio, Sennerto, aliiſque credimus, qui inſcienter deblaterarent, qui diſcerent Hebraicas litteras, plane illos effici Judæos, ſed & Ludovicus Vives Valentinus de cauſſis agens corruptarum artium (1) coactus eſt nonnullorum item delirium refutare *linguas errorum eſſe quoddam veluti ſeminarium* turpiter aſſerentium (2). Quis igitur miretur jam iſtis temporibus, quibus ridiculæ adeo ſententiæ invaluerunt, Hebraicam linguam non ſat fuiſſe excultam? Quare didiciſſet D. Thomas, ſi non ſolum nulla erat opportunitas, nulla conſuetudo, ſi non modo non neceſſaria, & plane inutilis, ſed & per ſummum nefas pernicioſa reputabatur? Ætatis, & temporis vitium hoc eſt, non eorum hominum, qui in illud inciderunt.

Quis quoque non putet ſanctiſſimos viros non cenſuiſſe ſat ſe Vulgatæ, quæ ab univerſa Eccleſia

(1) Lib. II. Extat Tom. I. Oper. p. 362. edit. Baſil.

(2) *Aiunt linguas errorum eſſe quoddam velut Seminarium . . . . ceu vero in ſermone ſita ſit hæreſis, & non in intelligentia . . . . Quaſi non omnes pene hæreſes e pravo ſanctarum litterar. intellectu naſcantur: quod neceſſe eſt iis contingere, qui linguas eas ignorant, quibus ſcripturæ ſunt proditæ. Mirum ni Baſilius, & Gregorius Nazianzenus, & Chryſoſtomus quanto Ario eloquentiores fuerunt, tanto hæreticiores exiſtimentur: tum Hieronymus hæreticus ſit, qui Latinos, Græcos, Hebraicos, Chaldæos ſcriptores plures evolvit . . . Vigilantius vero, Jovinianus, Ruffinus Catholici, qui minus Græce, ac Latine, quam ille, noverant, & quos Hieronymus velut linguarum imperitos inſectatur, tanquam errores ex ignorantia hauſerint: & revera ita erat: nam ut de aliis taceam, Vigilantius ſi ſciviſſet, qui vocarentur hebraice* fratres, *& vim illarum vocum noviſſet* Primogenitus, *&* antequam, *non illa adverſus puritatem ſacræ virginis deblateraſſet.*

recipiebatur, honorem, dignitatemque ſervare, ſi eam ad Hebræorum ſcripturas adigerent? Et multos ſane ex Patribus contradicentes invenit Hieronymiana verſio, quum viderent in Eccleſiam novam interpretationem intrudi, ut ut accuratior hæc eſſet, & fonti conformior. Religioni ergo ducebant ab ea verſione vel minimum recedere, quam Eccleſiæ auctoritas, & uſus confirmaverat. Origenem ipſum, qui Hebraice ſciviſſe tot eruditis viſus eſt, obſervabat olim Hieronymus (1) in popularibus homiliis exacte ſemper ſequi translationem LXX. Interpretum, qua Eccleſia utebatur, nec niſi in magnis ſuis diſputationibus Hebræos fontes adire. Quod adeo mirandum non eſt illis temporibus, quibus plerique Eccleſiaſticam interpretationem afflante Dei Spiritu elaboratam exiſtimabant; Hebraicus contra textus a nonnullis ſaltem corruptus reputabatur. Aut quoniam Nazareni eo utebantur, Hæretici omnium Hebraicarum legum, & rituum cum Evangelio tenaciſſimi, aut quotidie illud Hebræi in Synagogis legebant, an adeo tutum erat religioſiſſimis viris Hebraico textu libere uti, quo in noſtrorum conſpectu Nazareni, aut Hebræi etiam religione viderentur? Decebat ne, quum omne ſtudium ab Eccleſia poneretur, ne in ulla re veteri Synagogæ aſſimilaret, in hac ad eandem ſe conformare? Hæc & alia eiuſ-

(1) Proem. Quæſ. in Geneſ.

modi si attendantur, excusari sat puto eos Patres, qui nullam in Hebraicis litteris operam, & studium collocarunt. Porro ita ne hæc singula, quæ de Patribus diximus, jure dici de nobis hac tempestate poterunt? Obsolevit communior ea interpretandi ratio, quæ adeo erat olim in deliciis, & toti nunc in eruenda, intelligendaque scripturarum littera versamur. Maximus vero harum litterarum usus jam a seculo XV. & XVI. tum apud nos, tum apud ipsos nostros Hostes invaluit. Totque jam Præceptores, & libri, tot subsidia undique extant, ut plura exoptari nequeant. Perperam ergo omnino quispiam nostrum se Patrum exemplo in Hebraicæ linguæ neglectu tueretur.

Interim vero obiecti Patres utrumque sive redarguendorum hostium, sive explanandæ scripturæ officium pro tempore, & eorum instituto aptissime præstiterunt. Et commendandi summopere sunt, quod tempori se aptarint, eamque methodum sectati sint, quæ optima ea ætate communiter habebatur, nec nos nisi summa temeritate reprehenderemus. Sed si in persequenda scripturæ littera præcipuum illorum Patrum studium fuisset, quis dubitet, quin singulare iis præsidium ad rectam, perfectamque illius adsequutionem defuisset, & defuerit revera in iis locis, in quibus litteram non ulla traditione, sed consuetis hermeneuticis legibus, & mediis conaban-

tur inquirere? *Quoniam vero*, inquit commemoratus Natalis Argonensis (1), *ut æquum de antiquitate ex eiusdem antiquitatis monumentis judicium fiat, plus ei tribuendum non est, quam res, & veritas ipsa concedat, inficiari non possumus, in exponenda funditus scripturæ littera nonnihil necessariæ eruditionis antiquis Patribus desiderari*. Et clarissimus interpres Hieronymus ab Oleastro asserere non dubitavit linguarum, in primis vero Hebraicæ ignorantiam in caussa olim fuisse, *quod multi ex antiquis Patribus alioqui doctissimis, & ingeniosissimis genuinum sacræ scripturæ sensum assecuti non sunt* (2), quod optime dein (3) ad vitandam offensionem de iis sensibus explicat, *qui ex linguarum peritia pendent, non de revelationibus*, seu non de iis, qui traditioni divinæ innitebantur. *Si enim*, subdit, *sententiæ cognitio ex modo loquendi pendet, quomodo eam cognoscere potest, qui illius scientiæ peritia destitutus est?* Sane clarissime docuit Augustinus Hebraicæ linguæ scientiam maximum, & necessarium præsidium scripturarum explanatoribus afferre; quid ergo dubitemus, quin ad eruendam scripturæ litteram, & penitius intelligendam illud idem adiumentum in Anæbreis Patribus defuerit, quod Augustinus, & eruditi omnes in ceteris Patribus hebraice scientibus concedunt? Sed sit exemplum in doctiore aliquo

(1) Com. Lib. De Optima &c. Par. III. Cap. V.
(2) In Positione, seu enumeratione Canonum ad sacr. litt. lectionem, & lucidior. cognitionem perutilium præmissa eius Comment. in Pentat.
(3) Sub fin. Comm., seu Annot. in Genes. p. 178.

Patre, qui has litteras ignorarit; sitque is Augustinus ipse, cui in ubertate ingenii, ac subtilitate nullus reliquorum Patrum comparari potest. Nihil ne facultatis, ac necessariæ eruditionis defuit ingeniosissimo Doctori in exponenda *Genesi ad litteram*? Immo, quod eruditi plures observant (1), ipse idem sanctus Pater litteralem Geneseos interpretationem aggressus sua se statim linguarum imperitia contrahi sensit, & in Retractationum libris fatetur necessarias dotes ad tantum opus in se desiderari, & esse se susceptæ provinciæ omnino imparem. *In iis scripturis exponendis tyrocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit & nondum perfecto uno libro, ab eo quem sustinere non poteram, labore conquievi* (2). Quæ sanctiss. viri loquendi ratio quamquam singulari eius modestiæ, humilitatique tribuenda videtur, ulli tamen facultatis in eo, & Hebraicæ eruditionis defectui etiam inniti docti quilibet fatentur, quorum propterea laudes non in litter. potissimum scripturarum interpretatione, sed in controversiis reportavit; *neque mos unquam fuit*, inquit comm. Auctor de opt. legend. Eccl. Patr. Methodo (3), *in disputationibus de sacri textus historia, & literali expositione ad eum confugere.* Quæ eadem porro de Divo Thoma Aquinate dicenda sunt.

Hierony-

(1) V. Rich. Simon. Hist. Crit. V. T. Lib. III. Cap. IX., & Nat. Argon. De Optima &c. cit. sup. loco.
(2) Lib. I. Retract. Cap. XVIII.
(3) Par. I. Cap. VIII.

Hieronymus contra Ecclesia, Patribus, Augustino ipso, atque doctissimis quibuslibet viris fatentibus ob linguarum, sed Hebraicæ præcipue scientiam, quæ in eo eminebat, aptius est, & felicius scripturas interpretatus, aliisque Patribus communi jam judicio anteponitur. *Propter trium linguarum peritiam tantus*, inquit Salmero (1), *in Ecclesia Dei ab omnibus habitus est, ut eius unius interpretatio ceteras omnes versiones, etiam illam* LXX. *interpretationem quodammodo obscurasse, & post se reliquisse videatur.* Scilicet Hieronymus Hebraicarum litterarum præsidio apprime instructus sinceriorem scripturam Ecclesiæ dedit, unde clarius veritas, divinaque voluntas, & planius erueretur. Judæis vero, & Judaizantibus Hæreticis omnem calumniandi, fallendique ansam præripuit. In suis autem commentariis Hebræorum instituta, ac traditiones persequitur, hebraismos, atque Hebraicas phrases, & veterum sententias illustrat, nomina propria virorum, Provinciarum, urbium explanat, implexa, & obscura explicat (2), detorta demum, & male intellecta solertissime vindicat. Quæ si paullisper attendantur, quis miretur jam, quod Hieronymus in exponendis sacris scripturis Doctor Maximus (3), mundi-

(1) Proleg. XIII. p. 243.
(2) V. Epist. 130. ad Marcel., ubi exponit, quid sit Ephod, & Theraphim, Ep. 137. de *Alleluia*, & *Amen*, Ep. 138. de voce Selà &c.
(3) Ecclesia in propria ej. Oratione.

que Magister (1) prædicetur, qui Catholicam eruditionem multum in Latina lingua Hebraicis litteris adjuvarit (2)? Augustinus sane perspicacioris ingenii, & acutioris fuisse videtur, quam Hieronymus: cuius intuitu optime notat Michaelis, quod si sanctus Doctor adhuc potuisset Hebræum sibi idioma adsciscere, quod scienti Punicum haud adeo difficile videbatur (3), *il auroit merité l'honneur de passer pour le pere de la Philologie Orientale* (4). Tamen, relicta Augustino singulari in controversiis, confutandisque heterodoxis laude, maiorem Hieronymus in exponendis scripturis obtinuit. Ita Glossa in Canonem VI. Dist. IX. Decreti Gratianæi, qui incipit *Ut veterum*, *inter istos tres*, inquit, *Augustinum*, *Hieronymum*, *&* *Gregorium*, *Augustino magis credendum est in disputationibus*, *Hieronymo in historiis*, *&* *translationibus. Gregorius in moralibus proponitur; quia non omnes in omnibus*, *sed certi per certa.* Atque hæc de scripturarum explanatione diximus.

(1) S. Prosp. super. cit.
(2) August. sup. item cit.
(3) Nam si non eadem omnino juxta Lucianum Syrum in Pseudomanti cum Hebraica est, profecto ab eruditis parum olim distasse reputatur; quod constat ex verbis Hannonis Poeni apud Plautum. V. Walt. App. Bibl. Prol. III. n. 16., Selden. De Diis Syr. Proleg. Cap. II., Scalig. Jos. Ep. ad Steph. Ubert. Lib. IV. Epis. Ep. 362. p. 643. & idem Augustinus Tract. XV. in Joan., *Cognatæ*, inquit, *sunt linguæ istæ*, *&* *vicinæ*, *Hebræa*, *Punica*, *&* *Syra.* Quod alibi Mammonæ, Messiæ, aliisque productis exemplis confirmat. V. Serm. XXXV. De Verbis Dom., II. Lib. de Serm. Dom. Cap. XIV., & Lib. III. contra lit. Petiliani.
(4) Dissert. de l'Influence des opinions sur le langage Sect. I.

Porro, ut pauca nunc de Hostium confutatione dicamus, omitto Patres in angustias adegisse Arianam hæresin, quæ illum Prov. VIII. (1) versiculum juxta LXX. opponebat ὁ κύριος ἔκτισέ με, quo Dei filius a Patre e nihilo conditus ipsi nec coæternus, nec consubstantialis ostenderetur. Nam ex unis Hebraicis codicibus revincuntur iniqui Christi Divinitatis obtrectatores, ubi non habetur verbum ברא, quod respondeat τῷ ἔκτισε, sed יהוה קנני *Dominus possedit me*; ex quo juxta Hieronymum (2) eruitur quidem pro Christi divinitate filium ab æterno in Patre, & Patrem in filio fuisse, non vero, quod ex obiecta versione Ariani contendebant, recenter a Patre conditum, qui prius non erat. Quid de Hebræis dicemus, qui ea quoque tempestate Ecclesiasticam Vulgatam versionem, ut ineptam, nec Hebraico textui, quo ipsi utebantur, consonam traducebant, quique idcirco ab ea ad primigenium eorum codicem nostros Patres provocabant? Nec enim dubitare nos sinit Hieronymus, quin præcipua hæc caussa fuerit, quæ eum moverit, ut accuratiorem ex Hebræo translationem aggrederetur: *ne Hebræi de falsitate scripturarum Ecclesiis diutius insultarent* (3). Ni igitur Hieronymus Hebraice doctissimus os calumniantibus Hebræis obturasset, qui alter quispiam Patrum, qui Hebraicarum litterarum

(1) Est vers. 22.
(2) Epist. ad Cyprian., & Comm. in Ep. ad Ephes. C. II. p. 343. T. IV. Oper.
(3) Hier. Præf. in Isaiam.

præſidio careret, Hebræos latinam verſionem accuſantes, atque ad Hebr. textum provocantes feliciter omnino ſive aggredi, ſive confutare poterat? Atque hæc habui de Patribus dicere, quo iis fieret ſatis, qui eorum exemplo a ſanctis hiſce litteris abducuntur. Univerſi Patres in tres veluti claſſes diſtingui commode queunt. Nonnulli hanc linguam neceſſariam ſenſerunt, & ſuperatis graviſſimis, qui eo tempore exigebantur, laboribus, impenſis, peregrinationibus ſimul quoque didicerunt. Alii exiſtimarunt quidem neceſſariam, ſed ſive quod curis munerum ſuorum præpedirentur, ſive quod occaſio, opportunitas Præceptorum, & ſubſidia deeſſent, conſequi eam non potuerunt. Alii demum, ſeu quod corruptum Hebraicum contextum putarent, nec ſibi ulla ratione conſulendum, ſeu quod eſſent Eccleſiaſticæ verſionis, quam a viris θεοπνεύστοις elaboratam credebant, tenaciſſimi, & nefas ducerent ab ea diſcedere, linguam hanc minus ſibi neceſſariam arbitrati ſunt, atque ab ea addiſcenda ſuperſederunt. In primo Patrum genere utriuſque eſt nobis habenda ratio & eius, quod docuerunt, & eius, quod egerunt. In altero quid docuerint potius animadvertendum eſt, quam quod fecerint. Tertii vero generis Patres, quos unus ab harum litterarum diſciplina error abduxit, trahi in exemplum nec poſſunt, nec debent. Quibus porro placet in hac re ad aliorum ſe exempla componere, animadvertant jam

quo minor fuit inter Patres eorum copia, qui Hebraicæ linguæ vacarunt, eo plures post Patrum ætatem hebraice doctissimos inter Theologos reperiri, qui illis successerunt. Unus Paullus Colomesius Rupellensis in editis suis Gallia (1), Italia, & Hispania Orientalibus (2) longum adeo texuit clarissimorum virorum catalogum, qui non sat bonos se Theologos existimarunt, nisi Hebraicas litteras consequerentur, ut mirandum prorsus sit tot in Occidentalibus plagis Orientales litteras sectatores obtinuisse. Etenim ut cœperunt jam diu juxta Viennensis Concilii statutum Parisiensis, Bononiensis, & Salamantina Academiæ Hebraicam linguam excolere, sapiens institutum multæ deinceps sequutæ sunt; ut nullam nunc ullius nominis reperire fas sit, in qua plures non sint hebraice doctissimi. Quorum profecto in hisce litteris excolendis nec auctoritas negligenda est, nec exemplum. Sed cetera jam persequamur.

(1) Int. cet. Colom. Opera edidit Alb. Fabricius 4. Hamb. 1709.
(3) Ex αὐτογράφῳ Auctoris primum edidit Christophorus Wolfius 4. Hamb. 1730., qui notis insuper utramque illustravit, & omissos in Indice præmisso exhibuit.

Hebræos vero harum litterar. præsidio apprime instructos, pessimos tamen Theologos esse, & scripturarum explanatores.

Composita Patrum quæstione Hebræorum nunc exemplum excutiendum est. Nam optime animadvertit Buxtorfius nepos in suis Catalectis Philologico-Theologicis (1) inter momenta, quibus nonnulli usum linguæ sanctæ ad Theologiam, & scripturarum interpretationem eludere conantur, & illud esse *reliquis aliquanto speciosius*: si tantum esset eius linguæ emolumentum, *Judæos optimos fore Theologos, & scripturæ interpretes; nunc contrarium potius verum esse, cum compertum sit, Judæos optimos esse Hebræos, & pessimos Theologos.* Ac si in una Hebraicarum litterarum peritia totum ad rectum Bibliorum intellectum præsidium a nobis collocaretur. Etenim multa alia, eaque maioris adhuc momenti requiruntur, quæ si in Hebræis desiderentur, nunquam ii, ut ut hebraice etiam doctissimi fingantur, bonorum interpretum laudem obtinebunt. Et primo quidem præclare omnino monuit Salmero (2) debere in primis scripturarum studiosos vera fide eminere. Potissimum enim hoc est eruendæ in illis veritatis consilium, quod ipse

(1) Num., vel §. 268.
(2) Proleg. I.

Apostolus Paullus constituebat (1). Τίς ἔγνω νοῦν Κυρίȣ *Quis cognovit mentem Domini?* Ψυχικὸς ἄνθρωπος *Animalis homo* solo naturæ, vel rationis lumine collustratus, humano ductu cuncta dimetiens, nec per veram fidem ad altiora Dei, ipsique consentanea mysteria evectus οὐ δέχεται τὰ τȣ̃ πνεύματος τȣ̃ Θεȣ̃ *non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei;* ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει ... πάντα *at spiritualis*, qui scilicet verum Dei Spiritum induit, mentemque habet veraci divina fide edoctam, ac directam *diiudicat omnia.* Quod porro non diffitentur Hebræi ipsi, qui propterea solum Hebræum, Judaica videlicet juxta ipsos vera Dei fide imbutum, aptum Biblici studii candidatum existimant. Ita Tract. Sanhed. (2) כותי שעוסק בתורה חיב מיתה *Cuthæus*, seu Gentilis, non religione Hebræus, *qui operam dat legi*, vel scripturis, *reus est mortis.* Et sane recta fides mentem illustrat, ut cuncta ad eius ductum intellecta, nonnisi sane, & rectissime intelligantur. Hanc ergo si in Hebræis semoves, ut necessario faciendum est, quid jam censes optime ab his sacras scripturas interpretari? Quid si ablata fide, suis Judæis sensibus relictis, adeo ingens cœcitas justo Dei judicio in ipsorum mentes inducta sit, *ut etiam contra conscientiam cæco impetu in errorum labyrinthos corruant* (3)? Et huius quidem

(1) Ep. 1. ad Cor. II. 16.

(2) Fol. 59. 1. ap. Hartm. ad Cap. III. §. 11. Pirchè av.

(3) Verba sunt Buxtorfii Patris in quadam Oratiunc. MS. De Studio L. H. habita anno 1616., atq. a Nepote inter Bibliot. reliquias casu inventa, ubi ad hoc Judæor. exem. apte respondet. V. Buxt. Nep. cit. l.

Judaicæ cœcitatis, atque indurationis graviſſimas cauſſas ſi ſemel perpendimus, præcipue vero reprobationem Sancti Iſraelis, mirandum non eſt Judæos in reprobas de Deo ſententias abiiſſe, atque irrepentibus Rabbinicis fabulis, tota ad Talmudis doctrinam adacta ſcriptura, Doctorum ineptiis corrupta Orali traditione, puriſſimam illam Theologiam amiſiſſe (1), quæ apud vetuſtiſſimos Patres ſervabatur. Adeo verum hoc eſt, ut clariſſimus Hebræorum Doctor Maimonidès, etſi aliam cauſſam afferat, multum tamen priſtinam Theologiam apud ſuos defeciſſe, & plura myſteria turpiſſimæ oblivioni a ſuis tradita præclare doceat in More Nevochim (2).

דע כי החכמות הרבות אשר היו באומתנו באמתת אלו העניינים אבדו באורך הזמן ובשלוט האומות הסכלות עלינו ובהיות העניינים ההם בלתי מותרים לבני אדם כלם כמו שבארנו . . . וזאת היה הסבה המחייבת להפסק אלו השרשים העצומים מן האומה ולא תמצא מהם אלא הערות קטנות ורמיזות באו בתלמוד ובמדרשות והן גרגרי לב מעט עליהם קליפות רבות עד התעסקו בני אדם כלם בקליפות ההם וחשבו שאין תחתם לב בשום פנים

Scito, inquit ex Buxtorfii filii verſione, *multas egregias ſcientias, quæ in gente noſtra olim fuerunt, de veritate iſtarum rerum* (3) *partim longitudine temporis, partim*

(1) V. Iken. Antiq. Heb. Par. I. Cap. VI. §. 11.
(2) Par. I. Cap. LXXI.
(3) Ephodæus ad h. l. באמתת אלו העניינים ר״ל לבאר ענייני מעשה

longitudine temporis, partim infidelium, & stultorum populorum in nos dominatione, partim etiam quod non cuivis concessa erant (sicut exposuimus), periisse, & in oblivionem devenisse ... Atque hæc vera caussa est, propter quam solida illa fundamenta, eximiique Religionis nostræ articuli inter nos perierunt, & nonnisi pauca admodum doctrinæ illius veteris vestigia, & indicia comparent, quæ in Talmud, & Medraschoth sparsim hinc inde extant, quæ tamen ipsa sunt velut grana cordis parva (hoc est, explicat Buxtorfius, nuclei parvi) *magnis cincta corticibus, ita ut omnes fere homines in corticibus illis enucleandis laborantes existiment nullum prorsus illi inesse cor* (hoc est sanæ doctrinæ nucleum, vel medullam). An clarius adhuc lubet defecisse jampridem apud Hebræos veram legis expositionem, & pristinam Theologiam ab ipsis Misnicis Auctoribus audire (1)? משמת ר' יוחנן בן זכאי בטל זיו החכמה משמות רבן גמליאל הזקן בטל כבוד התורה *Quum mortuus est R. Jochanan ben Zachai, cessavit splendor sapientiæ; quumque mortuus est Rabban Gamaliel senior, cessavit gloria legis.* Quamobrem Talmudistæ facta posteriorum cum prioribus comparatione ita de seipsis prædicare solebant (2): אין הוון קדמאי מלאכין

Z

* מרכבה והחכמת האלהות · ונבאר במופת מציאות יתעלה ואחדותו *De verit. istarum rerum, idest ad explicandas res Operis Currus, & Sapientiæ Divinæ, seu Theologiæ, & exponemus de demonstratione existentiæ Dei, & Unitatis eius &c.*

(1) Tract. Sotà Cap. IX. Excerp. י"ח edit. Hebræo-Lat. Wagenseil.

(2) Scabbat fol. 112. col. 2. & cod. Scekalim Gemar. Hieros. Cap. V. apud Ugol. Thes. Tom. XVIII.

אנן בני אינש ואין ־הוון בני אנש אנן חמרין אמר ר׳ מנא בההיא שעתא אמרין אפילו לחמרתיה דרבי פינחס בן יאיר לא אדמינן *si priores fuerunt angeli, nos sumus filii hominis, & si illi fuerunt filii hominis, nos sumus asini. Dixit R. Menna ea hora: dicamus: etiam asinæ R. Pinchas filii Jair non sumus similes.* In una ergo caussa ab Hebræis dissentimus, quod nos irato Numini in eorum excœcatione pœnas infidelitatis repetenti hoc tribuamus, illi vero aliud fatum, & caussam assignent. At convincuntur Judæi, qui a Deo hoc sibi in gravissimi sceleris pœnam factum esse pervicaciter negant, præclaro Isaiæ vaticinio (1): השמן לב העם הזה ועיניו השע פן יראה בעיניו *pinguescere fac cor populi huius, & oculos eius illinito, ne forte videat oculis suis.* Boni ergo ne Judæi divinarum rerum perscrutatores erunt, si semel iratum, atque aversum illud cordium lumen constituimus? Aliter & ipsi sentiunt Hebræorum sapientes, qui ut biblicum studium recte cedat, humilem ad Deum orationem, & fusas preces a Candidato expostulant. Ita Ephodæus hunc biblicæ interpretationis optime instituendæ canonem posuit (2), ut instituamus התפלה אל האלהים והתחנה והבקשה ממנו יתברך להישיר לפנינו דרכו בידיעת תורתו *orationem ad Deum, & deprecationem, & preces a Deo benedicto, ut rectam faciat ante nos viam suam in cognitione legis suæ.* Lo-

(1) Is. Cap. VI. 10.
(2) Præf. ad Maasseh Ephod sub fin., ubi de Modis recte instit. studii legis; Modo XV.

quens autem Ephodæus de acuta rerum diſcuſſione, & profundo intellectu, & perceptarum rerum cuſtodia, ושני אלה, ſubdit, התארים הם מתת אלהים ואין כל אחד זוכה אליהם אם לא מי שחננו יהוה חן ושכל טוב ולכן היתה התפלה אליו ית' עליהם ראויה ומחויבת והוא שבקש דוד משיח צדקו גל עיני ואביטה נפלאות מתורתך *hæc duo neceſſario a Deo concedi debent, nec quiſque eſt dignus, qui illa ſuſcipiat; niſi is, cui Deus gratioſe impertitur hanc gratiam, & intellectum bonum; ideoque eſt oratio ad Deum bened. propter illa conveniens, & neceſſaria; & hoc eſt, quod exquiſivit David unctus juſtitiæ eius (vel juſtitia eius): revela oculos meos, & videbo mirabilia de lege tua.* Et ſane, ſi Salomoni, eique, qui in eo loquebatur, ſpiritui, credendum eſt, יהוה יתן חכמה מפיו דעת ותבונה *Dominus eſt, qui dat ſapientiam, & ex ore eius ſcientia, & intelligentia* (1). Cetera ergo etſi in Hebræis non deſiderarentur, fruſtra tamen abſque Deo, eiuſque per rectam fidem illuſtratione optime de Deo ratiocinaturos exiſtimamus. Hebraicæ linguæ ope legunt quotidie ſacros libros; ſed excœcata mente toti in eorum intellectu cœcutiunt. Optime Auguſt. Lib. IV. De Doct. Chr. Cap. V. *Sapienter dicit homo tanto magis, vel minus, quanto in ſcripturis ſanctis magis minuſve profecit. Non dico in eis multum legendis, memoriæque mandandis* (quod Hebræi faciunt), *ſed bene intelligendis, & diligenter earum ſenſibus inda-*

(1) Mislè, ſeu Prov. II. 6.

gandis. Novum autem fœdus, quod olim Buxtorfius Pater animadvertebat (1), *cuius collatio est lux splendidissima, Testamenti Veteris umbras vivide collustrans*, reiiciunt, & detestantur. Ita miseri omnem sibi salutaris adsequendæ veritatis viam occludunt.

Dein ex ipsorum Rabbinorum mente ad scripturarum intellectum studium exterius, scientiarum scilicet, & disciplinarum necessario addendum est. Isthæc præ ceteris mens est cl. Maimonidis in More Nevochim, ubi distinctis Capitibus (2) luculenter demonstrat *non esse ad contemplationem rerum divinarum accedendum sine præeunte cognitione, & intelligentia aliarum scientiarum*, quod longius diducta oratione per varia disciplinarum genera, cuiusmodi sunt logica, methaphysica, physica, arithmetica, geometria &c., accurate persequens concludit tandem frustra absque exoticis hisce scientiis divinarum rerum speculationem assumi: *qui sine illis*, inquit (3) ex Buxtorfii versione, *speculatur, similis est ei, qui pedibus suis ad certum aliquem locum ambulans, & contendens in profundam admodum fossam incidit, e qua exeundi nulla ipsi est facultas, nullumque consilium, donec moriatur*. Porro quæ nam est quæso in universa philosophia, in chronologia, historia, aliisque eiusmodi disciplinis Hebræorum exercitatio? Sane ex Rabbino-

(1) In com. superius Orat. de studio linguæ Heb. apud Nepotem cit. l. Catal. Philol.

(2) Par. I. Cap. V., & Cap. XXXIII.

(3) Cap. XXXIV. p. 47. edit. Buxt.

rum in his inſcitia eos, ſi alicubi errarint, excuſandos ſuſcepit R. Azarias De-Roſſi (1), cuius teſtimonium habes apud Voiſinium in eius ad Raym. M. Pugionem fidei obſervationibus. Atque ex hoc eodem Capite obiectum Judæorum exemplum in Hermeneutica ſacra diſcuſſit olim Auguſtus Pfeifferus. *Lingua Ebræa*, inquit (2), *exegetam ſacrum ad ſuum finem provehit, ſi non deſint cetera . . . Non mirum proinde, quod homo* ἀφιλόσοφος *quantumvis ebraiſmi callentiſſimus, non modo in conflictu cum adverſariis, ſed etiam in explanatione ſacrarum literarum hæreat, quoniam ad expoſitionem ſcripturæ ſacræ, & defenſionem eiuſdem non modo requiritur conſideratio* λέξεως, & φράσεως, *quam ſuppeditat lingua Ebræa, ſed etiam* συναφείας, *quæ diiudicanda beneficio logices, & philoſophiæ, adeoque notitia linguæ Ebraicæ debet eſſe ſtipata notitia philoſophiæ . . . Ita etiam non mirum Judæos, quantumvis Ebraice doctos, in expoſitione ſacrarum literarum cæcutire.*

Jam vero quid ſpeciatim de Arte Grammatica dicemus? אנחנו, præclare omnino inquit R. Aben Ezra (3), חייבים לדעת דקדוק לשון הקודש היטב שלא נטעה *Nos tenemur ſcire artem grammaticam linguæ ſanctæ accurate, ne labamur.* Kimchi vero in fine Michlol (4):

(1) In Meor. Henaim Cap. XXVII.
(2) Herm. S. Cap. IV. §. 10. ad 11.
(3) Peruſc, ſeu Com. in Cap. V. Eccle. apud Guar. Præf. ad Gr. Heb. Ch. Par. I. §. 2.
(4) Apud eund. Guarini cit. l.

אשר למד ותורה לו לקנין
ולא למד יסוד דקדוק ולא בן
כמו חורש אשר ינהג שורים
וידו מבלי מלמד ודרבן

Qui discit, ut lex sit ei in possessionem,
Et non discit fundamentum Grammaticæ, neque intelligit,
Is est sicut arator, qui agit boves,
Et manus eius sine baculo, aut stimulo.

Atqui Grammaticam hanc institutionem negligi ab Hebræis in scripturarum expositione testis est gravissimus R. Leo Mutinensis in præfatione ad suum Ghelud Jehuda. *Ho considerato più volte*, inquit, *la maniera, che noi teniamo in insegnar l' interpretatione delle nostre scritture a nostri figliuoli, che è per forza d'una pura prattica leggendo, e interpretando parola per parola nel linguaggio, ove ne ritroviamo peregrini habitanti, senza, com' altri fanno, farli prima apprendere le regole della Grammatica; poichè alcuni stimano questo troppo perdimento di tempo.* Psittacorum ergo in morem Robitim discipulos scripturam interpretandam verbatim edocent, quin eos prius in verborum radicibus, in nominum ætimologiis, in accurata, & varia eorundem significatione indagandis solerter instituant, *nullis prorsus adhibitis*, ut Buxtorfii verbis utar (1),

(1) Synag. Judaic. Cap. VII.

præceptis Grammaticis, ex uſu legentes, loquentes, ſcribentes, exponentes.

Viſi ſumus hucuſque penitus approbare Hebræos malos adeo eſſe ſcripturarum interpretes. Quamobrem & omne ſtudium in exponendis eius rei præcipuis, gravioribuſque cauſſis collocavimus. Nec porro dubitandum ullomodo eſt, quin in interpretandis iis præſertim locis, quæ Meſſiæ conditionem, & caracteres reſpiciunt, toto ii Cœlo a veritate aberrent; quippequi temporalem ab eo liberationem, mundanum regnum, & carnalia tantum beneficia expectant. At vero ubi hæc, & alia ſimilia myſteria in V. T. non foventur, ſed de ritibus, ceræmoniis, ſacrificiis, aut quopiam etiam facto, & aliis eiuſmodi agitur, tantum abeſt, qui inter Hebræos rectiſſime has litteras calluerunt, ut inepti ii, & mali explanatores ſint, ut immo communi jam eruditorum omnium judicio optimi judicentur, digni undique, qui a noſtris utiliter conſulantur. In quot obſcuris, ac perplexis locis Hebræi doctioribus noſtris interpretibus ductores ipſi fuerunt, & magiſtri? Nec adeo iniqui erga eos Chriſtiani Commentatores fuerunt, ut ampliſſimum beneficium a Rabbinis acceptum non faterentur, quorum nonnullos nos VIII. Capite attulimus; Hieronymus in primis, qui multa optima, & ſingula fere, quæ ad propriorum præcipue nominum, vel rituum Hebraicorum illuſtrationem in ſuis Commentariis affert,

Hebræis, quos habuit in ſcripturis præceptores, retulit accepta. Quot perplexa loca penitiori linguæ Hebraicæ, ſeu Hebraicarum radicum, verborum, & nominum naturæ, ac vis cognitione illuſtrarit unus Maimonides, teſtis eſt ille liber, quem propterea מורה נבוכים Moreh Nevochim, ſive Doctorem perplexorum voluit appellari, de quo Scaliger ſcribere non dubitavit (1): *Moreh Nevochim . . . . liber plenus bonæ frugis abſtruſæ eruditionis, & Theologis Chriſtianis apprime neceſſarius.* Sed teſtes præcipue ſunt, ut ſuperius monebamus, tot noſtrorum Theologorum, & Interpretum Diſſertationes, quæ ſive Ugolini Theſauro, ſive Sacris Criticis Londinenſibus concluduntur. Hi enim optima quæque Hebraicas antiquitates, & ritus, univerſumque Vetus fœdus illuſtrantia ex Hebræis ſcriptoribus acceperunt. Quare ergo negemus illis multum adhuc ſubſidium ad Bibliorum intellectum Hebraicam linguam adferre?

CAP. XI.

Hebraicam linguam barbaram prorſus eſſe, & incomptam, quod ex ipſo ſacro Heb. Scriptorum ſtylo patet.

Ab Hebraicis litteris dimovet nonnullos ſingularis quædam, quam animo præconcipiunt, illarum bar-

(1) Epiſt. ad Steph. Ubert. Lib. IV. Epiſtolar. Ep. 362. p. 646.

barbaries; de quibus in Hebraicis ſuis Inſtitutionibus (1) Georgius Faber, *aurem*, inquit, *mihi vellicare videntur Gnoſtici quidam contendentes linguam hanc eſſe barbaram, horridam.* Nec enim eam eo ſenſu barbaram appellant, quo appellavit aliquando Hieronymus (2), aut Amelius Græcus ſcriptor (3), quod ſcilicet externa ſit, ab aliena natione, atque in aliis regionibus uſitata. Neſcio tamen, unde efficta hæc barbaries deſumi queat. An ex huius linguæ auctoribus, & ea loquentibus hominibus? Sed pudet commemoratum Fabrum barbaram eam linguam nominare, *qua Deus ter optimus, terque maximus locutus, qua* דברי תורה *digito ſuo exaravit*, aut horridum illud labium dicere, quo uſus eſt *ſacer ſacrorum Patriarcharum, ac Prophetarum chorus.* Ergo ne Deus, qui in rerum exordio omnia in mira perfectione ſapienter prorſus, ac provide diſpoſuit, eam demum linguam, quæ omnium barbara eſſet, ſelegit, ut ea ipſe loqueretur, & primo homini inderet? Nihil ne hunc loquela etiam, & ſermone cultum condere Dei, eiuſque providentiæ intererat, aut qui intellectiva facultate perfectiſſima eum inſtruxerat, ineptum dein ei labium aptavit, quo ſuos conceptus ederet? Si vero barbariem repetis ex exterarum vocum, ac verborum commixtione, puriſſima ea eſt eruditorum omnium φιλεβραίων judicio.

Aa

(1) In Epiſt. Dedic.
(2) Quæſt. Heb. in Geneſ. Tom. III. p. 73.
(3) V. infer. ej. teſt.

Nullas enim, inquit Waltonus (1), *habet extraneas voces admixtas: unde hanc ſolam puram, reliquas omnes mixtas ſcribit Geſnerus in Mithridate* (2). *Ex aliarum linguarum radicibus voces ſuas non derivat.* Fruſtra autem ex inepta conceptuum, rerumque naturæ, & indolis expreſſione barbaram Hebraicam linguam diceremus, quippequæ ita apte, & accommodate quaslibet res exprimit, ut eiuſdem Waltoni, & Erpenii ſententia nulla ei alia comparari poſſit. Quis eſt, cui in ſcripturis res non tam narrari, quam cerni, atque ab oculos poni non videantur? Quid ergo? An barbara ea eſt, ideſt incompta, Rethoricis figuris, eloquentiæ floſculis, ac leporibus, eaque elegantia, & pulchritudine deſtituta, quam habent ceteræ? Ita recentiori adhuc cuidam ſcriptori Bonifacio Finetti viſum eſt, qui, quod magis miramur, aliter ſentientes ad Biblicum ipſum ſtylum provocat. *Per poco*, inquit (3), *che leggaſi la ſacra ſcrittura in tal lingua, agevolmente a mio credere, da chiunque non ſia ſoverchiamente preoccupato a di lei favore, ſcorgeſi in eſſa poca, o niuna pulitezza, e coltura.* Et ego facile concedam ſacrorum ſcriptorum ſermonem plerumque ſimpliciſſimum eſſe, nec ſcripſiſſe eos univerſim ἐν πειθοὶς ανθροπίνης σοφίας λόγοις *in ſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis*, aut ut ſaperent ὑπεροχὴν λόγȣ ἢ σοφίας *ſublimitatem ſermonis, aut ſapientiæ*, ut Paul-

(1) Appar. Bibl. Proleg. III. §. 27.
(2) Cap. I. p. 3.
(3) Trattato della Lingua Ebraica, e ſue Affini Cap. I. Sez. I. n. 5.

lus testatur (1), sed potius ostensionem spiritus, & virtutis; quamobrem & nonnullorum stylum inelegantem plane esse, agrestem, incomptum. Etenim Sanctus Spiritus cuiuslibet scriptoris labio, & loquelæ se accommodavit, suosque afflatus ad ingenium prophetarum, & hominum mores temperavit, ut optime docet Maimonides in Morè Nevochim (2): *scito unumquemque prophetam peculiare quid habere, & ea lingua, eaque loquendi ratione, quæ ipsi est familiaris, & consueta, impelli a prophetia sua ad loquendum ei, qui ipsum intelligit.* Idest, ut præclare ex Hebræis Commentatoribus ad hunc Maimonidis locum notat Buxtorfius filius (3), *si purum, & ornatum sermonem, vel stylum habet, eodem modo prophetiam suam eloquitur; si minus ornatum, minus ornate quoque prophetiam suam profert.* Quo fit, ut uno eodemque spiritu afflati scriptores unus tamen disertus sit, alter vero rudis, & inconcinnus: *quemadmodum flatus*, inquit doctiss. Huetius (4), *uno ore emissus pro calamorum varietate varios sonos edit e fistula.* An forte Amosum disertum appellabimus. Quia pastor ipse erat, & rusticus, hinc eloquio ceteris multo incomptior videtur. Legatur tamen Isaias. Quæ in dicendo efficacia, qui sermonis color, & pulchritudo, quæ phrasium elegantia, quæ maiestas ubique conspicitur! *De Isaia*

(1) I. Cor. II. 4. & 1.
(2) Part. II. Cap. XXIX. fere sub init.
(3) In lat. vers. ej. Moreh p. 264.
(4) Demonstr. Evangel. Prop. IV. Cap. XIV. p. 338.

ſciendum, ſic Paullam, & Euſtochium monebat Hieronymus (1), *quod in ſermone ſuo diſertus ſit: quippe ut vir nobilis, & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admixtum; unde accidit, ut præ ceteris florem ſermonis eius translatio non potuerit conſervare.* Nec enim, ut eruditi obſervant, ullos reperire fas eſt apud Tullium ſingulares, animumque mulcentes dicendi modos, ullos tropos, & rhetoricas figuras, ullas locutionis formas ad ſuadendum concinne excogitatas, aut ad feriendum mire compoſitas, quæ omnia in Eſaiæ vaticiniis, & ſtylo non reperiantur. *Teſtor hic*, inquit Mornæus (2), *quicumque eadem mente, eodem animi ſtatu utrumque legerunt; quid ad Eſaiam Cicero? Et quid Ciceronis blandæ illæ inſinuationes, & pueriles ignorantiæ excuſationes ad viva, & gravia, venerandaque ipſa maieſtate Eſaiæ exordia?* Et productis Eſaiæ verbis, quibus univerſam prophetiam auſpicatur, *Audite Cæli, & auribus percipe, terra, Quantum pauca hæc*, ſubdit, *ingenuitatis, & eloquentiæ, humilitatis, & grandiloquentiæ, rationis, & affectus habent? Quanto vero magis, quibus tum lingua ipſa, tum naturalis accentuum concentus nota ſunt?* Ita & Bibliander in Eſaiæ verbis hebraicæ ſacrorum ſcriptorum eloquentiæ, ac leporis exemplum ponebat luculentiſſimum (3): *non neglecta eſt ab iis numeroſa compoſitio orationis, ut præter vulgarem con-*

(1) Præf. in Transl. Iſaiæ.
(2) De Verit. Relig. Chriſt. Cap. XXVI.
(3) Apud Glaſſ. in Præf. ad Philol. S. p. 21.

ſuetudinem multa enunciarint in aurium gratiam. Cuius *rei ſatis certam fidem Eſaiæ voces bellæ, compoſitæ, & emblemata teſſellata* Cap. XXV. *poſita facient, quæ ſic meas aures demulcent, ut non putem Iſocratis tinnulam compoſitionem maiori ſuavitate blanditam vel delicatiſſimis Græcis; cumque cernam artis rhetoricæ normas, ad quas exigitur compoſitionis lepor, alluſionem, & repetitionem vocum, ſimiles exitus, parilitatem ſyllabarum, non puto me hic habere Midæ auriculas. Sic enim clariſſimus in eloquio ſacro Rhetor locutus eſt* (1): ועשה יהוה צבאות לכל העמים בהר הזה משתה שמנים משתה שמרים שמנים ממחים שמרים מזקקים *Veaſà Jehovà Zevaoth lechol haamim bahar aſeh miſcthe ſchemanim, miſcthe ſchemarim, ſchemanim memuchaim, ſchemarim meſukkakim. Non puto quemquam ſic jacenti aure, vel ſacræ litteraturæ adverſum, quin fateatur, in hoc, & innumeris aliis id genus Ebraico ſermoni etiam eſſe ſuas veneres, & gratias.* Conſule, ſi lubet, Salomonis Glaſſii Philologiam Sacram, ubi agens præcipue de ſacrorum ſcriptorum Grammatica, & Rhetorica, accurate prorſus ſingulas ſive grammaticas, ſive rhetoricas, quas illi in ſacroſancta hac lingua uſurparunt, figuras perſequitur, productiſque uberrimis exemplis illuſtrat (2). Hinc ediſcet Pater Finetti, quique ob effictam Hebraicarum litterarum barba-

(1) Cap. XXV. verſ. *6*.

(2) Joannes etiam Baldovius Orationem auſpic. habuit, & edidit, *in qua adſtruitur Hebræam linguam eſſe pronunciatu ſuaviſſimam, elegantiis utiliſſimam.* 8. Lipſ. 1624.

riem patiuntur ſe ab illis abduci, non male elegantes eas, cultaſque poſuiſſe Waltonum virum in hac litteratura exercitatiſſimum, quo earum perfectio evinceretur: *veneres etiam ſuas habet* (ling. Heb.), *quas nulla alia lingua exprimere poteſt* (1).

CAP. XII.

Demum & difficilem eſſe admodum, ut nonniſi gravi ſive temporis jactura, ſive ceter. ſtudior. incommodo, ætate præſertim paulliſper provecta, addiſci queat.

Inter graviſſimas cauſſas non ſuſceptæ a nonnullis Hebraic. litt. inſtitutionis dubitari nequit, quin locum obtineat ſingularis quædam, ac pene incredibilis conficta ab iis eius adſequendæ difficultas; quam propterea hoc loco excutiendam adgredimur. Idem enim in Hebraicis ſtudiis contingit, quod in Rabbinicis teſtatur Adrianus Relandus (2) nulla re æque ab iis deterreri, *quam inſuperabili, quam ſibi imaginantur, difficultate.* Ita Secundus Lancelloti de Hebraica lingua ſermonem inſtituens, *ſtando*, inquit (3), *nell' Hebrea va di pari in eſſa la divinità, e la difficoltà d' impararla.* Quod quum propoſito Hieronymi teſtimonio, atque Auguſtini huius linguæ ignoratione con-

(1) App. Bibl. Prol. III. §. 27.
(2) Prolegom. ad Analecta Rabbinica.
(3) Hoggidi, ovvero gli Ingegni non inferiori a paſſati. Diſing. IX.

firmasset, tandem concludit: *il che tutto mostra, che'l darsi a questo studio sia da ingegno grande, e non ordinario.* Erasmus etiam scribens ad Joannem Coletum (1) cœpisse se asserebat & Hebraicas litteras attingere, peregrinitate tamen sermonis deterritum destitisse. Quod idem & multos candidatos cohibet, ne disciplinam hanc laudabiliter adeo susceptam persequantur. Nec porro is sum, qui aliquam non requiri industriam, & solertiam in addiscenda hac lingua existimem. Laboribus enim cuncta nobis venduntur bona juxta Xenophontis effatum, quodque præclarum est, idem quoque est arduum, si Tullio credimus (2). Et magis demum *condecet*, ut præclare olim ad Damasum scribebat Hieronymus, *ob veritatem laborare paullisper, & peregrino aurem accommodare sermoni, quam de aliena lingua fictam ferre sententiam.* Tanta tamen non est difficultas, animique defatigatio, ut absterreri propterea debeamus. Quod clarissimorum virorum, qui experti sunt, testimonio comprobari potest. *Tandem*, inquit Waltonus (3), *si linguæ tantæ dignitatis, perfectionis, elegantiæ, & utilitatis, etiam addiscendi facilitatem addamus, quid amplius desiderari potest?* Ita Guarinus in Præfatione ad suam Grammaticam Hebræo-Chald. (4) ex eius huius linguæ facilitate nos ad eam adhortatur: *eo maiori stu-*

(1) Lib. Epistolar. X. Cap. VIII.
(2) De Amicit., & 3. Tusc.
(3) App. Bibl. Proleg. III. §. 28.
(4) Parte I. ej. Præf.

dio ad linguæ huius cognitionem adipiſcendam ferri debetis, quod ſit omnium facillima. Immo plures editis peculiaribus Diſſertationibus de huius linguæ facilitate egerunt, ut Lehmannus (1), Gudius (2), Schudtius (3), Baumeiſterus (4), Sixtinus Amama (5), aliique adhuc memorati ſive a Chriſtoph. Wolfio in Bibliot. Heb. (6), ſive a Joh. Simonis in ſua Introduct. Grammatico-Critica in ling. Heb. (7).

Si ſane tempus exiguum, quo quiſque Heb. ling. ſibi comparare facile poteſt, ſi eius naturam, & in legibus analogiam, ſi exiguam vocabulorum, ac radicum copiam, ſi ſubſidia optima, & plurima, quæ hoc tempore extant, ſi demum puerorum, ſenum, & fœminarum etiam in ea profectus, quis facillimam eam non fateatur? Quod ad tempus attinet, *talis eſt hæc lingua*, ait Waltonus (8), *ut haud decimam temporis, & laboris poſtulet, quam Latina, vel Græca, ut tradunt eius inſigniores Magiſtri; ſi quis enim menſes aliquot in eam impendat (menſes, non annos, ſic Erpenius) facile bonos progreſſus in ea faciet.* Sixtinus autem Amama apud Waltonum bimeſtrem, vel trimeſtrem induſtriam ſufficere aſſerebat, ut mediocriter

(1) Diſſ. De Heb. L. facilitate 4. Erfurti 1708.
(2) Diſſ. De Præc. Studii Heb. L. Impedimentis §. 24.
(3) In Deliciis Hebræo-Philol.
(4) Diſſ. De L. Heb. maturius addiſcenda §. 7.
(5) In Paræn. De Excit. S. Ling. Studiis.
(6) V. Tom. II. p. 309. ſeqq.
(7) Sect. I. §. 10. p. 20. ſeqq.
(8) Commem. Proleg. III., & cit. §. 28.

diocriter quiſpiam hanc linguam addiſceret. Neque enim, ut eius facilitatem evincamus, inconſiderato eorum teſtimonio egemus, qui longe minus temporis ſpatium inſtitutioni circumſcribunt. Quanquam ſingularia in viris ſingularis quoque ingenii, ac facultatis exempla non deſunt; nam Picus Comes Mirandulanus in Epiſtola ad Marſilium Ficinum aſſerit ſe unius tantum menſis ſpatio ita Hebraicas litteras didiciſſe, ut Hebraicam Epiſtolam citra erratum dictare potuerit. De Origene vero teſtatur Hieronymus (1) univerſam Græciam in illo miratam eſſe, *quod in paucis, non dicam, menſibus, ſed diebus ita Hebrææ linguæ viciſſet difficultates, ut in diſcendis, canendiſque Pſalmis cum matre contenderet*. Quod non eſt adeo, cur in ingenioſiſſimis præcipue viris miremur; qui perperam propterea in exemplum a nobis traherentur. Vehementer potius miror nonnullos extare, qui commode Hebraicam linguam intra vigintiquatuor horas, aut (mirabile dictu!) etiam intra horam unam addiſci poſſe definiant. Ex quibus eſt recentior Grammaticus Weitnaver Soc. Jeſu in Hora Hebraica (2): *Horam unam*, inquit, *lector benevole, ſi mihi ſpondes, viam tibi oſtendam uſque adeo brevem, ut divinorum librorum partes omnes, utique ope lexici, ſed ſine alio magiſtro, ſine labore alio novo, ſine temporis diſpendio ullo per te ipſe interpretari tibi*,

(1) Epiſ. ad Paullam ep. 22.
(2) In Modo addiſc. intra breviſſ. temp. linguas Gall., Hiſp., Græc., Heb. &c. Præf. ad Horam Heb.

aliisve possis. Et quod mirabilius est, interpretetur optimo, & felici successu, quin vel Hebraica verba pronunciare cognoverit: *ego vero, inquis, ne pronunciandi quidem modum tam peregrinum intra unius horæ intervallum didicero. Assentior hoc tibi, lector; sed tantum non peto. Sine pronunciandi notitia intelliges tamen omnia, & explicabis.* O mirandum doctorem! Sed interim valde vereor, ne hanc brevem adeo addiscendæ huius linguæ viam ipsis ignavis probare queat, quibus se solum scripsisse ingenue fatetur: *ego iis loquor, qui labori parcere desiderant.* Et ipsi enim ridiculum tantum præceptorem habebunt. Non horum diximus testimonio nos egere; ni difficiles adhuc eæ litteræ dicendæ sint, in quibus diligenti iis navata paucorum mensium opera non contemnendos tamen progressus effecisse visi sibi sunt eruditi moderatiores.

Jam vero si Heb. linguæ naturam, & adfectiones perpendimus, *Quis eam*, ut Guarini verbis utar, & demonstratione (1), *quod sit difficilis, merito conqueratur? Longe paucioribus anomaliis, quam alia pleraque idiomata, laborat; & quæ in ea reperiuntur, illæ maiorem sui partem regulis ad analogiam facile revocantur. In illa non variantur nominum casus. Verba, si variam temporum inflexionem attendas, destituuntur modis: septemplex eorum flectendorum ratio, quæ inexpertos terrere solet, & facilior, & brevior est, quam vel unica latini verbi acti-*

(1) Cit. Præf. ad Gram. Hebræo-Chald.

va, aut paſſiva coniugatio. Vocum in oratione ſeries inſtitutum a natura ſequitur ut plurimum ordinem; neque illæ, ut in Græca, & Latina lingua fieri ſolet, fere traiiciuntur. Denique in uno Veteri Teſt. continentur vocabula omnia, quæ ſuperſunt, pura puta Hebraica. Ex quo fit, ut qui menſium aliquot laborem hoc in ſtudio impenderit, is haud mediocrem Hebræi codicis adepturus ſit intelligentiam. Quod idem de lingua Hebræa, quam barbaram Græcorum more appellat, agnovit, & prodidit Amelius Græcus ſcriptor Plotini diſcipulus: ἔχει δὲ, inquit (1), βαρβαρα ὀνόματα, πολλὴν μὲν ἔμφασιν, πολλὴν δὲ συντομίαν, ἀμφιβολίας τε ἐλάπτονος μετέσχηκε, καὶ ποικιλίας, καὶ τȣ̃ πλήθȣς τῶν λεξεων *habet autem, quæ barbara vocatur, multam quidem emphaſim, multam vero brevitatem, & ambiguitatis in ſermone minus particeps fuit, & minus varietatis, & copiæ dictionum.* De exiguo autem Hebraicarum dictionum, & radicum numero audi R. Peripoth Duran Ephodæum vulgo dictum in Mahaſſeh Ephod (2). וממה שיורה על קצורנו בלשון העברי שאתה תמצא כי כל שרשי המלים שמות ופעלים ומלות הטעם במה שנמצא אצלנו היום ממנו לא יעלה מספרם לשנים אלף ולא יעלה מספר הפעלים מהם לאלף ושלש מאות *Et id, quod demonſtrat brevitatem noſtram in lingua Hebraica eſt, quod tu invenies omnium radicum dictionum, nominum, & verborum, & dictionum ſenſus, quantum ex iis hodie apud nos reperitur, non aſcendere earum nume-*

(1) Apud Nicol. Cauſſin. Lib. XV. De Eloq. Sacra, & Hum. p. 955.
(2) Cap. VII. ſub fin. fol. 30. p. 2. MS. Taurin.

rum ad duo millia , nec aſcendere numerum verborum ex illis ad mille, & tercenta. Et quod ad omnes Hebraicas voces, quæ reperiuntur, attinet, Leuſdenius, numeratis etiam Chaldaicis, tantum 5642. computavit , cum contra lingua Græca ultra vocabula 80000. complectatur ; Arabica vero adhuc multo plura, ita ut obiiciente Cozri maiorem præ Hebraica Arabicæ amplitudinem, ex hac illam commendare olim non potuerit R. Jehuda Levita (1).

Ad hæc ſi ſubſidiorum copia accedat, quæ noſtris hiſce temporibus ſummo litterarum bono non tam multa, quam optima reperiuntur, quis adhuc dubitare audeat, quin noſtra hac tempeſtate facilis omnino hæc lingua evaſerit? Tot jam nobis præſto ſunt Grammatici, & lexicographi, & Philologi Hebræi, ut ceteros, qui linguas Orientales illuſtrarunt, facile numerare queas, qui autem in eruenda Hebraicæ linguæ natura, & proprietatibus laboraverint, nullomodo valeas. Hodiernos quidem longa producta Auctorum ſerie, qui de Hebraicis litteris ſcripſerant, ſuo jam tempore confutabat comm. Lancelloti ita eos alloquens (2): *Volete toccare con mano, che gli Ingegni Hoggidì ſono altra coſa, che non erano intorno a queſta difficiliſſima arte ancora? Eccovi come un catalogo degl' Ingegni, che la ſeppero beniſſimo, e l' inſegnarono abbondantemente a loro coëtanei, ed a poſteri per mezzo delle ſtampe ponendo fedelmente, ed in latino l' in-*

(1) Cozri Parte II. §. LXVII. & LXVIII.
(2) Hoggidì, ovvero gli Ingegni non inferiori a paſſati. Diſing. IX. p. 120.

ſcrittione delle loro Opere. Nicolò Clenardo Tabulæ in Gramm. Hebræam &c. Verum vix centeſimam eorum partem attingit, qui noſtris hiſce litteris lucem attulerunt. Conſule de Hebraicarum inſtitutionum, & lexicorum, quæ innumeris auctoribus, & locis, & temporibus prodiere, copia Richard. Simon. in Hiſtoria Critica V. T. (1), Pfeifferum in Præf. ad Method Heb., Auctorem Anon. Examinis Danzii Litteratoris (2), Chriſtian. Stokium in Præf. ad Clavem Linguæ Sanctæ, Le-Longium in Bibliotheca Sacra (3), Chriſtophor. Wolfium tum in Hiſtoria Lexicorum Hebraicorum, tum vero in Biblioth. Heb. (4), Carpovium, qui in Animadverſionibus Philologicis a Wolfio ommiſſos recenſuit (5), & Joh. denique Simonis in Introductione Grammatico-Critica in ling. Heb. (6). Mirum ſane, quot, & quanti viri publicæ utilitati, ac commodo in hac re conſuluerint, & quot noſtris votis, & quanta pro Heb. lingua ſubſidia acceſſerint! Sed quod fere adiumentum eſt, quod inſtitutioni noſtræ una Buxtorfiorum familia deſiderandum reliquerit (7)? Nam

(1) Lib. I. Cap. XXX. & XXXI. enumerat Grammaticos Hebr.

(2) Sect. II. recenſentur Gram., & Lexic.

(3) Sub fin. poſtrem. Edit. in fol. veluti Append. loco memor. ſubſidia LL.OO.

(4) Vol. II. p. 600. & ſeqq. uſq. ad p. 621., Vol. IV. p. 272. ſeqq. enumerat huius ling. Grammaticos; enum. vero Lexicogr. Vol. II. p. 548. & ſeqq. uſque ad p. 565., & Vol. IV. p. 233. uſq. ad 248.

(5) Gramm. a Wolf. ommiſſ. recenſet p. 47. & ſeqq., Lexicogr. p. 50. ſeqq.

(6) Sect. I. Cap. IV. §. 27. & 28. de Gramm. §. 29. & 30. p. 46. ſeq. de Lexic.

(7) Ante Buxtorf. Philebræis multa adhuc libror. præcipue ſubſidia defuiſſe colligi poteſt ex Epiſt. 243. Joſ. Scaligeri ad eundem Buxt. *Quod mi-*

non ſolum optimum, & accuratiorem huius linguæ Grammaticum Theſaurum (1), aut in Tironum gratiam Heb. Gram. Epitome (2) ab iis obtinuimus, ſed & Proſodiam Metricam tum fuſius, tum vero accuratius multo, quam antea, pertractatam (3). Porro lexicon Hebræo-Chaldaicum Biblicum edidit Pater (4), cui ſub finem & Rabbinicum adiectum eſt. Eius autem Manuale Hebraicum, & Chaldaicum (5) Baſileæ item lucem adſpexit; ut nihil de Florilegio Hebraico, aut de lexico Talmudico-Rabbinico Patris, & filii triginta annorum laboribus celebrato opere (6) dicam. Hebraicarum epiſtolarum corpus aliquod, quo ad exercitationem adiuvaretur Philebræa juventus, poſtulante vehementer Scaligero in lucem Pater edidit (7). Edidit & præter Inſtitutionem epiſtolarem Hebraicam Tractatum de Abbreviaturis Hebræorum, quo in legendis, interpretandiſque Hebraicis ſcriptis, ubi eæ crebro occurrunt, non adeo ad aquas hærere amplius cogeremur (8). Jam vero ut Hebraica ſcripta, eorum-

nus in Hebraicis profecerim, id partim ingenioli tenuitati, partim librorum, & Magiſtr. penuriæ adſcribo.

(1) 8. Baſil. 1619. 1629. 1651. 1663. &c.
(2) Baſil. 1605. 1613. 1616. 1629. 1640. 1658. &c.
(3) Sub fin. Theſauri, & in Calc. Cozri Buxt. edit.
(4) 8. 1607. Baſil. & ſexcent. dein recuſ.
(5) 12. An. 1612. 1619. 1630. &c.
(6) Fol. Baſil. 1639.
(7) Epiſtolar. Decadem edidit primum an. 1605. dein edita eſt ann. 1660. 8. Baſ. Inſtitutio Epiſtolar. complectens 100. Epiſ. Heb.
(8) Primum cum Bibliot. Rabb. 1613. 1640. 1696. ac denique Herbornæ

que auctores, & editionem dignoſceremus, vulgavit & Rabbinicam Bibliothecam (1). Quid adhuc poſt tot præſidia peroptandum nobis ſupererat? An ut Biblia Hebraica cum Targum, Maſora, & præcipuis Rabbinorum commentariis in noſtri commodum, & uſum accuratiſſime ederet? An ut eius ſtudio Hebraicas ſacri textus concordantias, & clavem inſuper totius Maſoræ haberemus? In omnibus his votis noſtris adfuit vir ſolertiſſimus (2). Filius vero ſequens & ipſe Patris veſtigia præter multa, quæ de huius linguæ origine, & antiquitate, eius conſervatione, & propagatione, eius demum litterarum, punctorumque vocalium antiquitate diſputavit (3), optimas reliquit verſiones nonnullarum Abarbanelis Diſſertationum (4), Moreh Nevochim Moſis Maimonidis (5), & libri Cozri R. Jehudæ Levitæ (6).

Quot vero præter Buxtorſios in illuſtranda hac lingua optime operam ſuam collocarunt? Quot innumeris modis unam Hebraicorum vocabulorum vim, & naturam aperuerunt? Erat ne hæc ex locorum,

1708. 8. Eius ſupplem. exhibet Wolfius Bibliot. Heb. Vol. II. p. 575. ſeqq., & Vol. IV. p. 251. ſeqq.

(1) Baſil. 1613. 12. Accuratius dein hoc Hotting., Bartoloc., & Wolf. præſtiterunt.

(2) Biblia Hebræo-Rabbin. Baſil. 1619. fol. IV. Vol., Concordantiæ Heb. fol. Baſil. 1632., Tiberias, ſeu Comment. Maſor. fol. & 4, Baſ. 1620. &c.

(3) In Diſſertationib. Philol. Theol. Baſil. 4. 1662., & Tract. De Punctor. Voc. Orig., Antiq. &c. 4. Baſil. 1648., & Anticrit., ſeu Vind. Verit. Heb. 4. Baſil. 1653.

(4) Adnexæ ſunt Diſſert. Philol. Theol.

(5) 4. Baſil. 1629.

(6) 4. Ibid. 1660.

qui in Hebræo textu occurrunt, collatione, aut ex Rabbinorum, & vetuſtiorum Hebræorum ſcriptis repetenda? Id Reuchlinus omnium primus, & poſt ipſum Pagninus, Mercerus, Cevallerius, Bertramus, Aquinas, Plantavitius, Cocceius, aliique plurimi præſtiterunt. Sed ſi cuipiam abſonum forte id videatur Rabbinorum expoſitionibus fidere, cenſeatque ex ſolis Bibliorum theſauris unice eruendum eſſe vocum ſignificatum, in illius gratiam hoc perfecit Forſterus. Quemadmodum & eorum votis, qui nomina propria ex pleriſque lexicographis omiſſa exoptare videbantur, Marcus Marinus adfuit in ſua תבת נח Arca Noach. Si expetuntur vocum analyſes, præſto eſt lexicon Hebraicum Henrici Opitii; ſi in ſingulas radices, & voces V. T. obſervationes Philologico-Theologicæ, adeſt Eduardi Leighii Critica Sacra; aut, ſi placet juxta capitum, & verſuum Biblicorum ſeriem in Hebraica verba inquirere, Clavis Hebræi Codicis Joachimi Langii. Quid vero ſi Hebraicarum vocum ſignificatio ex Græcorum interpretum translationibus ſit illuſtranda? Id Bernardus de Montfaucon, & Guarinus in ſuis lexicis intenderunt. Quid ſi origines Hebraicæ ex Arabicæ penetralibus revocandæ? Id præ ceteris Schultenſius, & Clodius perfecerunt. Harmoniam cum matre Hottingerus, Caſtellus, Gerhardus, Nicolai, aliique adhuc perſequuti ſunt; ſpeciales vero vocum ſignificationes a generalibus, proprias ab impropriis

accurate

accurate distinguendas susceperunt Stockius, & Rechembergerus. Si demum alicuius labor exquiritur, qui reiectis communibus fontibus, unde ceteri omnes Hebraicarum dictionum, & radicum significatus dimetiebantur, Hebraicam linguam in seipsa, & suo fonte metaphysicis rationibus speculetur, novam hebraizandi viam in suis huius linguæ commentariis pandit Gussetius. Quæ igitur alia illustrandæ Hebraicorum vocabulorum naturæ via, aut ratio superest post tot, & tantorum virorum studia? Si vero *in hoc litteraturæ genere*, quod sentit Saubertus (1), *facilius discitur* מפי סופרים ולא מפי ספרים *ex ore scribarum, sive præceptorum, quam ex ore librorum*, nequit sane hac tempestate doctorum inopia difficilem reddere Hebraicarum litterarum adsequutionem; quum dolendum potius eruditis sit, non doctores discipulis, sed doctorum sedulitati, & institutioni candidatos deficere. Porro hæc adsequendæ huius linguæ disciplinæ sive librorum, sive præceptorum commoda, & subsidia non aderant Hieronymi tempore; quamobrem & sancto viro difficilis sane in hisce litteris institutio contigit, ut ipse testatur Epist. IV. *Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quoties cessaverim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum du-*

(1) Præf. ad Interp. lat. l. Paraschæ Genesis R. Jacob ben Itzchach, quam ipse edidit, apud Wolf. Bibliot. Heb. Vol. III. p. 469.

xerunt vitam, & gratias ago Domino, qui de amaro semine litterarum dulces fructus capio. Male ergo, & præter rem Hieronymi exemplo, & teſtimonio uſus eſt Lancelloti, ut linguæ Heb. difficultatem adſtrueret.

Sed quis præterea non miraretur in tanta, quæ fingitur, huiuſce linguæ difficultate tenellos adhuc pueros, provectoſque etiam ſenes nullo eam negotio didiciſſe? Quot mulieres quoque ſingularem plane in Hebraicis litteris laudem ſunt adſequutæ? Celebrantur ab eruditis in Gallia Princeps Anna Rohannia (1), Domina de Guimene (2), Domina de Calonges (3), Maria Molinæa (4); in Hiſpania Juliana Morella (5), Loiſa Sygæa (6); in Germania vero, Batavia, Anglia, aliiſve regionibus multæ floruere Hebraice doctiſſimæ. Unam ex omnibus nominaſſe ſufficiat Mariam Annam a Schurman Colonienſem, cuius Hebraicam eruditionem edita eius opuſcula invicte demonſtrant (7). Ergone difficulter adeo nos poterimus, quod tot mulieres facillimo negotio, & laudabiliter potuerunt? Sed experire jam, quiſquis ab addiſcenda hac lingua ob eius difficultatem deterreris, & miraberis ſane, quomodo tam brevi tempore tot in ea fructus ſubiti tibi, ac inſpe-

(1) V. Colom. Gallia Orient. edit. Fabr. p. 165.
(2) Ibid. p. 261.
(3) V. Teſt. Bocharti apud eund. Colom. ib. p. 271.
(4) Ibidem p. 272.
(5) V. Colom. Hiſpan. Orient. p. 251.
(6) Ibid. p. 237.
(7) V. l' Advocat Diction. Hiſtor. Tom. III. p. 316.

rati contingant. Schultensius quoque, is, qui in litteris Arabicis Erpenium ipsum si non superavit, at certe æquavit, antequam illas adgrederetur, hoc præjudicio tenebatur, quod omnium difficillimas arbitraretur, nec Erpenio aliter suadenti crederet. Verum quum experiri cœpit, tum cœpit etiam incredibilem in iis addiscendis facilitatem non tam agnoscere, quam admirari. *Quum jam satis firmus*, inquit (1), *mihi viderer pro Arabicis, quæ omnium difficillima imaginabar, non sine admiratione legebam in Præfatione cl. Erpenii ad Rudimenta linguæ Arabicæ eam a magno illo viro studiosis Theologiæ commendari, ut omnium dialectorum facillimam. . . . Mentem percussit Paradoxum; & quiescere non potui, donec incredibilis rei experimentum cæpissem. Cæpi, & manductione Amici spatio unius mensis usus verissimum esse comperi, quod cl. Erpenius de mira ista facilitate dixerat, simulque demirari cæpi, litteraturæ Orientalis agrum tam divitem, ac fertilem adeo paucos cultores reperire.* Hæc Schultensius de litteris Arabicis, quæ profecto Hebraicis sunt difficiliores. Itaque quoniam imaginaria tantum in te est harum litterarum difficultas, evanescet hæc statim, quum ab animo arcebitur falsa opinio, & tetra fictæ difficultatis species auferetur. *Tum demum* (linguæ) *faciles sunt*, inquit Christianus Ravius (2), *quando omnis falsa species iis ademta, omnis terror ex alie-*

(1) In Vetere, & Regia via hebraizandi num., vel §. 9. p. 5.
(2) Panegyrica I. De LL. Orient.

no metu dependens, communes esse cœperint. Optime, & ad rem Terentius (1):

Hæc dum incipias, gravia sunt,
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia.

Sed quoniam sunt nonnulli, qui ætate saltem paullisper provecta difficilem Hebraicarum litterarum institutionem arbitrentur, gravem admodum, eaque pene dixerim indignam, nequeo, quin iis plurium, non provectæ tantum ætatis, sed & ingravescentis senectæ virorum exempla obiiciam, qui, quod huius linguæ necessitatem agnoverint, senes ut erant, & curis undique circumsepti, maxima tamen cum laude eam didicerunt. Erasmus plures eiusmodi se suis temporibus enumerare potuisse testatur scribens ad Martinum Dorpium (2): *possem tibi permultos enumerare nominatim, qui cani jam cœperint in his litteris* (Hebraicis, & Græcis) *repuerascere, quod tandem animadvertissent sine his mancum, ac cæcum esse litterarum studium.* Perfecit id autem Buxtorfius Nepos in Philologico-Theologicis suis Catalectis tmemate CCXXX. (3), quod propterea operæ pretium ducimus integrum afferre. „ Memini, inquit, me legere exempla quorundam, „ qui cum ipsis jam in senium ætas vergeret, alio„ rum, qui in extrema senectute linguam Heb. non

(1) In Heautont. Rumen. Act. V. Scen. V.
(2) Lib. Epis. XXXI. Epis. XLII.
(3) Pag. 284.

„ infeliciter didicere, quæ cum memoratu digna „ ſint, hinc illinc collecta referre non pigebit, non „ quidem, quod in ſenium differendum eſſe putem „ huius linguæ ſtudium, ſed ne ii, quorum floridior „ ætas occaſione, & mediis diſcendi deſtituta fuit, „ animum prorſus deſpondeant. Et de Origene qui- „ dem Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſ. „ teſtatur illum jam grandævum *contra naturam æta-* „ *tis, & gentis ſuæ* Hebraice didiciſſe. De Johanne „ Sturmio magni nominis viro refert Sixtinus Ama- „ ma in *Paræneſi ad Synodos, Epiſcopos, & ſuperin-* „ *tendentes Eccleſiarum Proteſtantium* eum ſeptuageſimo „ ætatis anno ad linguam Hebræam ſeſe applicuiſ- „ ſe. Celebris Dominicanus Banneſius alicubi (1) „ ait ſe, ne amplius ab Hæreticis rideretur, in „ extrema ſenecta Hebraicam linguam didiciſſe. „ Deſiderius Eraſmus ſe anno ætatis quinquageſimo „ tertio ſtudia Hebraica recoluiſſe affirmat. Cl. Sal- „ maſius pene ſenex Hebraica didicit, *cum animad-* „ *verteret illa ſtudiis ſuis deeſſe*, uti ſcripſit ipſe ad „ Hugon. Grotium. Eruditiſſimus Rhenferdus in il- „ luſtri Friſiorum Academia Profeſſor hodie cele- „ berrimus in Ep. quadam ad Sam. Koenig. huius „ *ſpecimini Diſputationum Gemaricarum* annexa com- „ memorat, illuſtriſ. Scaligerum ſexagenarium Ju- „ dæis magiſtris uſum fuiſſe. „ Quibus non dubito, quin plures adhuc a Buxtorfio omiſſi addi queant,

(1) Id ait Bannes in I. Par. D. Th. q. 1. ar. 8. p. 56. concl. 7.

propterea quod in eius notitiam non venerint. In primis Joannes Parvus, quem novissime tantum sibi observatum nonnisi tmemate CCLXIX. commemorat, de quo Nicolaus Clenardus (1): *is cum annos natus esset sexaginta duos, non contentus græcis literis, quas occupatissimus templi functionibus didicit, a me etiam initiatus est Hebraicis, quas nocturnis vigiliis tam ardenter concupivit, ut paucis mensibus sine cortice naret, ut utar verbis Horatii.* Dein & addendus Cardin. Caietanus, de quo Arnold. Bootius in sacris suis Animadversionibus (2), *cæpit*, inquit, *hoc studiorum genus undecim ante mortem annis, ac Commentarios in Psalmos tribus ante ipsam annis vulgavit anno* 1530. *ipse natus tunc annos* 63. Ut Rudolphum Agricolam prætéream, quem memorat Simonis (3) senem ex Judæo Wormatiensi Hebraicas litteras didicisse, aliosque eiusmodi, qui plures enumerari possent. Quis porro renuat tantos viros invicte imitari? Quibus profecto nec difficile, nec grave, nec indignum denique fuit sanctas has litteras provectissima etiam ætate addiscere. Quod enim semel necessarium est, id quacumque ætate, & tempore, & quovis modo comparari debet. Et si juxta Senecæ monitum (4): *tandiu discendum est, quandiu nescias, & si proverbio credimus, quandiu vivas,* aut juxta Arabes (5) exqui-

(1) Apud Colomes. Gallia Or. ad Joh. Parv. & ap. eund. Buxt. ib.
(2) In Indice Auctor. iisd. Animadv. præfixo sub Caiet.
(3) Introd. Gram. Crit. in ling. Heb. Sect. I. §. 25.
(4) Epist. LXXVI.
(5) Apud Hotting. Hist. Orient. Lib. II. Cap. VI. p. 531.

renda eſt ſcientia من المهد الى اللحد *a cunis ad ſepulchrum*, patet jam nullum eſſe ætatis noſtræ tempus, quod excolendis litteris non ſit aptiſſimum, & quo perdiſci a nobis aut nequeat, aut non debeat id, quod ignorari illæſo officio noſtro nulla ratione poteſt. Hæc habui, quæ de Hebraicis litteris, earumque uſu adverſus præcipuas cauſſas, & momenta neglectæ a nonnullis illarum diſciplinæ diſputarem. Quæ, quamquam pauca ſunt, exercendique animi gratia, brevi temporis ſpatio congeſta, videntur tamen inſtituto noſtro quoquomodo conſentanea. Quotquot ſive interpretandis penitius ſcripturis, ſive Hebræis, vel Hæreticis redarguendis ſtudemus, tantarum jam litterarum præſidio nos inſtruamus. Hoc Auguſtino, & ceteris Patribus, hoc Summis Pontificibus, hoc Regibus religioſiſſimis, hoc demum univerſæ Eccleſiæ exoptandum ſummopere eſt, ut quam Deus linguam dignitate adeo, ac neceſſitate præſtantem voluit, hanc adgrediamur, hanc in ſingulare tum noſtri, tum totius Communionis noſtræ bonum omni contentione, & ſtudio excolamus.

FINIS.

INDEX

Præcip. Auctorum, eorumque Operum, & Editionum, quibus usus est Auctor, & sparsim in hoc opusculo afferuntur.

In grat. τῶν φίλων βιβλιογραφείας.

Bonfrerii Jac. *Præloquia in S. Script.* Præmittunt. ej. Comm. in Pentat. fol. Antv. 1625. Extant & cum Menoch. Comm. fol. Parif. 1719.
Borromæi (Card. Frider.) *Libri De Abfoluta Colleg. Ambrof. in litteris Inftitutione.*
Boffuet Meld. Ep. *Défence de la Tradition, & des SS. PP.* Cont. Rich. Sim. Extat Tom. 15. poftrem. edit. Liege cœptæ ann. 1766.
Bruccioli Anton. *I Sacrofanti Libri del vecchio Teft. tradotti dalla Ebraica verita in ling. Ital., e con pio, e catolico commento dichiarati.* Vol. 3. fol. Ven. 1540.
Bukentop (Henr. De) *Or me-Or Lux de Luce libri tres* 4. Bruxel. 1710.
Buxtorfii Patris *Synagoga Judaica* 8. Bafil. 1712.
—— Oratiunc. MS. *De Studio Ling. Heb.* Ex Buxt. Nepot. Catalect. n. 268.
—— Grammatica *Chaldaico-Syriaca* 8. Bafil. 1650.
Buxtorfii Filii *More Nevochim Doctor Perplexorum* Maimon. Latin. verf. 4. Bafil. 1629.
—— *Liber Cozri* R. Jehudæ Lev. Lat. verf. 4. Bafil. 1660.
Buxtorfii Nepotis *Sepher Hachevutzim*, feu *Catalecta Philologico-Theologica.* 8. Bafil. 1707.
Çalmeti *Præfatio Generalis in V. T. libros.* Extat Tom. 1. ej. Comm. in S. Scrip.
—— *Differtationes in omnes S. Scrip. libros* fol. 2. vol. Ven. 1734.
Cani Melch. *De Locis Theologicis* 4. Viennæ 1754.
Capelli *Defenf. Criticæ S.* Subiic. ej. Crit. S. fol. Parif. 1650.
Caffini *De Sacris Lib. Vulg. Edit. Sixti V.*, & *Clem. VIII. auctoritate recognitis Thefes Selectæ* 4. Romæ 1753.
Cartvvright Chriftoph. *Præf. ad Electa Targumico-Rabbin.* Extat Tom. 1. Critic. Sacr.
Carpovii Paulli Theodori *Animadverf. Philologico-Critico-Sacræ* 4. Lipf. 1740.
Cafpi (R. Jofeph Aben) *Sculchan Hachefeph*, feu *Menfa Argentea.* Extat MS. in hac Reg. Taur. Bibliot. Cod. XCVII. a. II. 22. pag. cod. 165.
Caffiodori *Inftitutiones Divinar. Lection.* 8. Antv. 1566.
Cauffini Nicolai *De Eloquentia Sacra & Humana.* 4. Lugd. 1643.
Chaiim (R. Jacob) Opus Maforeth, feu Collectio utriufq. Maforæ. Reperitur in Bibliis Rabbin. Bomberg. aliifq. edit.
Cellarii Chriftoph. *Sciagraphia Philologiæ Sacræ* 4. Jenæ 1678.
Coch, vel Cocceii Jo. *Duo Tituli Thalmudici Sanhedrin, & Maccoth* 4. Amft. 1629.
Codices MSS. Bibliothecæ Regii Taurinenfis Athenæi fol. 2. vol. Taur. 1749.
Colomefii Paulli *Gallia Orient.* inter eius opera ex edit. Fabricii 4. Hamb. 1709.
—— *Italia, & Hifpania Orientalis* ex edit. Chrift. Wolfii 4. Hamb. 1730.
Critici Sacri cum Thefauris fol. 13. vol. Amft. 1698. 1732.
Cunæi *De Republ. Hebræor.* 12. Amft. 1666.

✱

De Dieu Lud. *Animadv. in N. T. libros omnes* 4. Leidæ 1648.

De Roſſi, vel lat. De-Rubeis (R. Azarias) *Meor Henaim*. ſive *lumen oculorum* 4. Mantuæ 334. Chr. 1574.

Druſii Jo. *Libri Obſervat.* 8. Antv. 1584., & Critic. S. Tom. 8. p. 179.

—— *Quæſtionum Hebr. libri* 3. 12. 1599.

Driedo *Libri De Translationib. S. Script.* eſt 11. liber 4. libror. Iſagogic. de Eccl. ſcripturis fol. Antv. 1543.

Dupin Eliæ *Diſſertation Preliminaire ſur la Bible* 4. Amſt. 1701.

—— Ej. *Bibliot. des Auteurs Eccleſ.* 4. Pariſ. 1693. vol. 11.

Eliæ Levitæ (R.) *Tisbi*, ſeu *Lex. Heb.-Chald.* Select. voc. ex edit. Hebr.-Lat. Paulli Fagii 4. Baſil. 1557.

Ephodæi V. R. Peripoth Duran.

Eraſmi Roterod. *Epiſtolæ* fol. Lond. 1642.

Fabri Georg. *Epiſt. Dedic.* præfixa ej. *Inſtitut. Gram. Heb.* 8. 1626.

Fabricii Jo. *Hiſtoria Bibliothecæ Fabricianæ* 4. Wolfenbuttelii an. 1722. 6. vol.

Finetti *Trattato della Lingua Ebraica, e ſue Affini* 8. Ven. 1756.

Fleury Cl. *Traité du Choix, & de la Conduite des Etudes* 8. Pariſ. 1753.

Forerii Franc. *Præf. in Comm. Iſ.* Ext. T. 1. Critic. Sac.

Forſterii Jo. *Præf. ad Diction. Heb. Nov.* fol. Baſil. 1557.

Friſchmuthi Jo. *Diſſert. De Meſſiæ manuum, & pedum perforat.* Extat p. 611. Tom. 1. Theſauri Theol. Philol., ſeu Syll. Diſſert. ad Selecta loca V., & N. T. Theologorum Proteſt. fol. 2. vol. Amſt. 1701.

Galatini *De Arcanis Cath. veritatis, hoc eſt in omnia diffic. loca V. T. ex Talmude, aliiſq. Hebræor. libris Commentarius* fol. Baſil. 1561.

Genebrardi *Comm. in Pſal.* 4. Colon. Agrip. 1615.

Gerberti Martini *Apparatus ad Erudition. Theologic.* 8. 1764.

Glaſſii Salomon. *Philologia Sacra* 4. Lipſ. 1705.

Gratiani Decret. Diſt. IX., & ej. Gloſſa.

Guarini Petri *Præf. ad Gramm. Hebræo-Chald.* 4. 2. vol. Pariſ. 1724.

Guſſetii *Commentarii Ling. Heb.* fol. Amſterd. 1702., & 4. Lipſ. 1744.

Hartmanni *Pirchè av. Capitula Patrum*, ſeu *Ethica Hebræa* 4. Gieſſæ 1708.

Henrici Stephani *Diſſ. De Stylo N. T. Græco* ej. edit. N. T. Græcæ 1576. præfixa.

Hieronymi Opera afferuntur ex edit. Martianay Pariſ. 1693-1706. 5. vol. fol.

Hottingeri Jo. Henr. *Grammat. IV. LL. Hebr.-Chald. &c. Harmonica* 4. Heild. 1659.

—— *Theſaurus Philologicus*, ſeu *Clavis Scripturæ* 4. Tiguri 1696.

—— *Bibliotheca Orient.* 4. Heild. 1658.

—— *Præf. ad Godvvini Moſen, & Aaron.* Tom. 3. Ugolin. Theſ.

Huetii Dan. *De Claris Interpretibus, & De Optimo Genere interpr.* 12. Ven. 1758.

—— *Demonſtratio Evangelica* 4. 2. vol. Ven. 1754.

Jehuda Levitæ (R.) *Coſri* ex edit. Heb. L. Bux. V. Buxt.

Jesus Junior. Ecclesiastici Interp. *Prologus ad Eccli.*
Ikenii Conradi *Antiquit. Hebraicæ* 8. Bremæ 1741.
Josephi Heb. Flav. *Antiq. Heb., & contra Appion.* fol. Genev. 1611.
Isaac (R.) de Acosta *Conjecturas Sagradas sobre los Prophetas primores* 4. Lugd. B. 482. C. 1712.
Justiniani Augustini Nebiens. Ep. *Epistola ad Poncherium Parvum.* Extat. ap. Wolf. Bibliot. Heb. vol. 11. p. 950.
Kircheri Athanas. *Prodromus Coptus, sive Ægyptiac.* 4. Romæ 1636.
Kimchi (R. David) *Perusc*, seu *Comm. in Ps.* ex Bibliis M. Rabbin. var. ed.
—— *Michlol* Ven. fol. an. m. s. 305. Chr. 1545.
Krugeri *Diss. De Ling. Heb. Antiq., Util., Nec.* 8. Guelpherb. 1739.
Lamy Bern. *Entretiens sur les Sciences* 8. Lyon 1706.
Lamii Joh. *De Eruditione Apostolorum liber sing.* 8. Florentiæ 1738.
Lancelloti Secundi *L' Hoggidì, ovvero gl' Ingegni non inferiori a passati* 8. Ven. 1662.
Leonis (R.) Mutinensis *Ghelud Jehudah Novo Dittionario Hebr., e Ital.* 4. parv. Venet. 1612.
Leusdenii Jo. *Philologus Hebræo-Mixtus* 4. Ultraj. 1682.
—— *Philologus Hebræus* 4. Basil. 1739.
—— *Spicileg. Philol.* adnex. Philol. Hebræo-Mixto.
—— *De Dialectis N. T. singulatim de eius Hebraismis* ex edit. Fischeri 8. Lips. 1754.
Le-Long Jacob. *Bibliotheca Sacra* fol. Paris. 1723. 2. vol.
Lighfooti Jo. *Horæ Hebraicæ, & Talmudicæ* in Math. Tom. 2. Oper. p. 24. edit. 2. vol. fol. Roterod. 1686.
—— *Erubhim*, seu *Miscellan.* T. 1. Oper. p. 195.
Lucæ Brugensis *Epis. Dedic. in Notat. ad Vulg. l. ed.*
Lutheri *Comm. in Psalm.* Tom. III. lat. Jen. edit. ej. Oper.
Masii Andreæ *Josuæ Imper. Historia illustrata* fol. Antv. 1574.
Martini Raymundi *Pugio Fidei* fol. Lips. 1687.
Maimonidis (R. Mosis) *More Nevochim* ex lat. Buxt. edit., & Heb. fol. Sabionetæ An. m. s. 313.
Mariana *Tract. De Vulg. lat.* V. eiusd. Tract. Histor., & Theologicos fol. Colon. 1609.
Megerlini Dav. Frider. *Fasciculus Observationum Miscellanear.* subiunct. Tract. De Scriptis, & Collegiis Orient. 4. Tubing. 1729.
Michaelis (Mr.) *De l' Influence des Opinions sur le Langage, & du Langage sur les Opinions* 8. Brem. 1762.
Mornæi *De Verit. Relig. Christ.* 8. Lugd. B. 1592.
Morini *Exercitationes Biblicæ* fol. Paris. 1669.
Muscati (R. Jehuda) *Perusc in Cozri* R. Jehudæ Lev.
Muisii Sim. *Assertiones tres verit. Heb.* I. an. 1631., alt. 1634., III. 1639. prodier. Paris. 8.

Natalis Argonensis *De Optima Legendor. Eccles. PP. Methodo* ex Gall. in lat. vers. 8. Taur. 1742.

Natal. Alexandri *Histor. Eccles.* fol. 9. vol. Ferrar. 1759.

Oleastro (Hieron. ab) *Comm. in Pentat.* fol. Lugd. 1586.

Origenis Opera fol. 4. vol. Paris. 1733.

Pallavicini *Histor. Conc. Trid.* fol. Romæ 1656.

Palairet Eliæ *Observationes Philologico-Criticæ in Sacros. N. fœd. libros* 8. Lugd. B. 1752.

Pasini Jos. Sacrarum antea in hac Academ., & Orient. litterarum Professoris, Regiæ nunc Bibliothecæ Præsidis cl. *Oratio ad Sacr. Script., & LL. OO.* ad calc. Gram. Heb. 12. Pat. 1721.

Pfeifferi Augusti *Introductio in Orient.*, seu *Synops. QQ. Nobil. de Orig., Nat., usu, & admin. LL. OO.* 8. Jenæ 1715.

—— *Linguæ S. Usus Catholicus.* Extat. Tom. ej. Oper. II. p. 1183.

—— *Critica Sacra* 8. Dresdæ 1680.

—— *Hermeneutica Sacra*, seu *Thesaur. Hermeneut. de Leg. Scrip. Interp.* 8. Francof., & Lips. 1726.

Pedach Devarai *Apertio Verbor. meor.* Incerti Auct. 8. Ven. an. m. s. 306.

Peripoth Duran (R.) Ephodæi vulgo dicti *Mahasseh Ephod*, *Opus Ephod* MS. in Bibliot. Taurin. Cod. XCVI. a. II. 21.

Petavii Dion. *Epist. ad Voisin.* præfixa huius Theol. Judæor. 4. Paris. 1647.

Plantavitii *Florilegium Rabbinic.* fol. Lodov. 1645.

Poli Mathæi *Synopsis Critic. Sacr.* fol. 5. vol. Francf. ad M. 1712.

Possevini *Bibliot. Selecta* fol. Romæ 1593.

Porta (Henr. a) *De LL. OO. ad omne doctrinæ Genus Præstantia* 4. Mediol. 1758.

Ravii Christiani *Panegyrica I. LL. OO.*

Relandi Adriani *Analecta Rabbinica* 8. Ultraj. 1702.

Reuchlini *Præf. ad Lexic. Heb.* fol. Basil. 1537.

—— *Præf. ad VII. Ps. Pœnitent.* 8. Tubing. 1511.

Reyna (Cassiodor. de) *La Biblia, que es los Sacros Libros del Vieio y N. Test. trasladad en Espannol* 4. 1622.

Salmeronis Alphonsi *Prolegomena Bibl.* fol. Colon. Agrip. 1612.

Sauberti *Latin. Interpr. I. Paraschæ Comm. R. Jacob ben Isaac* Hemst. 8. 1660.

Scaligeri Jos. *Epistolæ* 8. Francf. 1628.

Sçavans *Journal pour l' an. 1766. Mai.*

Schultensii Alb. *Vetus, & Regia Via Hebraizandi* 4. Lugd. B. 1738.

Sckickardi Guill. *Bechinath Happeruscim, hoc est examinis Commentationum Rabbinic. in Mosen Prodromus* 4. Tubingæ 1624.

Schudt. *Memorabilia Iudaica* Francof., & Lips. 1714-17.

—— *Deliciæ Hebræo-Philologicæ* 8. Francof. ad M. 1700.

Seldeni *De Diis Syris Syntag.* 8. Lond. 1617.

Senecæ *Epiſtolæ ad Lucil.* Tom. 2. Oper.
Sennerti *Diſſ. de Hebrææ L., necnon OO. Origine, Antiq. &c.* eius Hebraiſmo præmiſſa.
Simonii Rich. *Hiſtoria Critica V. T.* e Gall. in lat. verſa a Nat. Alb. De Verſe Pariſ. 1681.
—— Ej. *Epitres Choiſ.* 8. 4. vol. Amſt. 1730.
Simonis Jo. *Introductio Grammatico-Crit. in ling. Græc.* Halæ Magdeb. 1752.
—— *Introductio Gram.-Critica in ling. Heb.* ibid. 8. 1753.
Sixti Senenſis *Bibliotheca Sancta* fol. Neap. 1742. 2. vol.
Stockii *Clavis Linguæ Sanctæ Veteris, & N. T.* 8. maj. Lipſ. 1712. 2. vol.
Starchii Henr. Bened. *Biurè Hammichra*, ſive *Notæ Selectæ Criticæ Philologicæ in loca diff. Pentat., Joſue &c.* Lipſ. 1714.
Talmudici Tract. Betza, Scabbath, Sekalim, Sanhedrin, Sota &c.
Theodoreti *Quæſtiones in Gen.* Tom. I. poſtr. edit.
Toleti Franc. *Comment., & Annot. in Evang. Joan.* 4. Romæ 1590. 2. vol.
Verſiones Scripturæ Arabica, Syr., Samar. &c. ex *Bibliis Polygl. Waltoni* afferuntur 8. vol. fol. cum Lex. Caſt. Lond. an. 1657.
Verſio Hiſpan. Ferrar. *Biblia en lengua Eſpan. traduzida palabra par palabra de la verdad Hebraica por muy excel. letrados.* Ferrar. an. m. ſ. 313.
Ugolini Blaſ. *Theſaur. Antiq. Heb. Sacr.* fol. Venet. vol. 28. 1744-65.
Vives Lud. Valent. *De Cauſſis corruptar. art.* Extat Tom. 1. Oper. p. 362. edit. Baſil. fol. 1555.
Vignalii Petri *Maamar*, ſeu *Sermo de L. Sanctæ Antiq., & Præſt.* præfixus Inſtitutionib. ling. Heb. Jo. Quinquarborei 8. Lut. 1621.
Voiſinii *Obſervationes ad Raym. Mart. Pug. Fidei.* Reperiuntur in utraque edit. Pugionis Pariſ., & Lipſ., & Tom. 1. Theſ. Ugol.
Waltoni Briani *Appar. Biblicus* fol. Tigur. 1753.
—— *Diſſert. De Linguis Orient.* 12. Daventr. 1658.
Wagenſeil *Tract. Talm. Sotà* 4. Altorf. 1674.
Weitnaver *Modus addiſcendi intra breviſſ. tempus Linguas Gall., Ital., Hiſp., Græc., Heb. &c.* 4. Francf. ad M. 1756.
Witaſſe Car. *Tract. Theologici* 7. vol. 4. Ven. 1738.
Wolfii Chriſtoph. *Bibliotheca Hebræa* 4. vol. 4. Hamb. 1715-33.
Yſtellæ Lud. Valent. *Commentarii in Sacram Geneſ.* fol. Romæ 1601.
Zachariæ *Storia Letteraria d'Italia* vol. 8. a Lul. ad tot. Decemb. 1753. 8. Mutinæ 1755.

			Errata	*Corr.*
Pag.	2.	lin. 17.	*quos illud*,	*quod illud*.
Pag.	8.	lin. 16.	*Nam eam*,	*Nam ea*.
Pag.	13.	lin. 5.	התשוב,	החשוב
Pag.	45.	lin. 5.	*hex eter.*,	*ex heter.*
Pag.	129.	lin. 18.	*memoralibus*,	*memorabilibus*.
Pag.	192.	not. 6.	*Tom. II.*,	*Tom. IV.*

Imprimatur

Joannes Dominicus Piſelli Ordin. Præd. S. T. M. Vicarius Gen. S. Officii Taurini.

V. Franciſcus Ferrerius Collegii Theologor. Taurinenſ. Præſes.

V. Se ne permette la ſtampa

Galli per S. E. il Sig. Conte Caissotti di S. Vittoria Gran Cancelliere.